AUTHOR:

WITTE, WILHELM

TITLE:

DE NICOLAI DAMASCENI FRAGMENTORUM...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1900]

Master Negative #

91-80200-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Witte, Wilhelm, 1878-
De Nicolai Damasceni fragmentorum Romanorum fontibus. Dissertatio inauguralis historica quam ... publice defendet scriptor Guilelmus Witte ... Berolini, Mayer et Mueller [1900]
50 p. 22 cm.

Thesis, Berlin, 1900.

419895

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/29/91 INITIALS G.G.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT









IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)











PHOTOGRAPHIC SCIENCES CORPORATION
770 BASKET ROAD
P.O. BOX 338
WEBSTER, NEW YORK 14580
(716) 265-1600

DE
NICOLAI DAMASCENI FRAGMENTORUM ROMANORUM FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE XVII M. MARTII A. MCM.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

GUILELMUS WITTE
COISLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT

CAROLUS KEHR, CAND. PHIL.
JOHANNES ZINGLER, DR. PHIL.
BRUNO RAPPAPORT, DR. PHIL.

BEROLINI
MAYER ET MUELLER.

PATRI CARISSIMO

S.

Herodi Magno cum alias tum eo fortuna favit, quod praeco factorum ei exstitit, Nicolaum dico Damascenum. Qui qualis fuerit, ex dicto quodam, quod usurpare solebat, optime cognosci potest cfr. Suid. s. v. Νικόλαος[1]) Ἔφη δὲ Νικόλαος ὁμοίαν εἶναι τὴν ὅλην παιδείαν ἀποδημίᾳ. Ὡς γὰρ ἐν ταύτῃ προςσυμβαίνει[2]) τοῖς ἀποδημοῦσι καὶ μακρὰν ὁδὸν διεξιοῦσιν, ὅπου μὲν ἐγκατάγεσθαί τε καὶ ἐναυλίζεσθαι μόνον, ὅπου δὲ ἐναριστᾶν, ὅπου δὲ πλείους ἐνδημεῖν ἡμέρας, ἐνίους δὲ τόπους ἐκ παρόδου θεωρεῖν, ἐπανελθόντας μέντοι ταῖς ἑαυτῶν ἐνοικεῖν ἑστίαις, οὕτω καὶ διὰ τῆς ὅλης παιδείας διερχομένους δεῖν ἐν οἷς μὲν ἐπιτηδεύμασιν ἐπὶ πλέον ἐνδιατρίβειν, ἐν οἷς δ' ἐπ' ἔλαττον, καὶ τὰ μὲν ὅλα, τὰ δὲ ἐκ μέρους, τὰ δὲ ἄχρι στοιχειώσεως παραλαμβάνειν καὶ τὸ ἐκείνων χρήσιμον κατασχόντας ἐπὶ τὴν ὡς ἀληθῶς πατρῴαν ἀνελθόντας φιλοσοφεῖν . . . . . Unde apparet in philosophiae imprimis studio Nicolaum versatum esse, nec qúisquam nescit ad Aristotelis disciplinam eum se applicuisse.[3]) Multum tamen temporis etiam in aliis rebus consumpsit. Primum enim Herodi multos per annos arbiter et administer rerum externarum et domesticarum aderat.[4]) Tamen inter haec negotia publica poëticen

[1]) Quae Suidae verba ex Nicolai *περὶ ἰδίου βίου* libro fluxisse iam Valesius rectissime statuit.

[2]) Verbum *προςσυμβαίνει* cum Gaisford. Suid. lex. p. 2597, Bernhard. Suid. lex. p. 987. 988. Muellero Frg. H. Gr. III p. 349 retinere malui quam in v. *συμβαίνει* mutare cum Kuestero (Suid. lex. s. v. *Νικόλαος*) et Dindorfio (Hist. Graec. minor. tom. I p. 138).

[3]) Locos contulit Susemihlius: Griechische Litteraturgeschichte in der Alexandrinerzeit II p. 309 annot. 361. p. 310 annot. 365. p. 311 annot. 376.

[4]) cfr. Susem. l. c. II p. 310 annot. 369.

quoque ut Caesar et Augustus attingebat.[1] Sed ut in versibus factitandis — liceat mihi ipsius Nicolai verbis uti — prandisse tantum videtur, ita dies plusculos constitit in historia conscribenda. Nam cum satis non haberet Herodis solum facta memoriae prodere, historias a Semiramidis usque ad Herodis Nicolaique aetatem in regis sui usum libris CXLIV conscripsit. Quod quamquam opus tam difficile fuisse noster dicebat[2], ut ne Herculis quidem vires ei labori suffecturae fuerint, tamen ipsi eo absoluto quietem agere minime placuit, sed librum de Augusti vita componere aggressus est, ut imperatorem tantis laudibus efferret, quantis antea regem.

Quibus ex scriptis historicis non ita multa fragmenta temporum iniquitatem fugerunt. Historiae universalis, quae vocatur, ex libris septem primis fragmenta nonnulla maiora in excerptis Constantini, ex libris CXXXVII sequentibus pauca eaque brevia imprimis apud Josephum Athenaeumque servata sunt. Nec minus ad haec tempora libri de Augusti vita compositi initium pervenit, quod tamen fragmentum ultra annum DCCX p. u. c. non extenditur.[3] Cuius libri quamquam capita XIX—XXVII, quibus coniuratio contra Caesarem facta narratur, ceteris fragmentis graviora sunt, tamen quaestio de fontibus huius ipsius partis instituta parum adhuc profecit. Buergerus[4]) enim, qui primus de hoc libello fusius disputavit, in fontes inquirere neglexit. Quin etiam Schmidtius[5]) umquam de eis quicquam erui

1) cfr. Suid. s. v. *Νικόλαος* (Bernh. tom. II. part. I. p. 987) *Γραμματικῆς τε γὰρ οὐδενὸς χεῖρον ἐπεμεμέλητο καὶ δι' αὐτὴν ποιητικῆς πάσης. αὐτός τε τραγῳδίας ἐποίει καὶ κωμῳδίας εὐδοκίμους . . .*

2) cfr. Excerpt. de virtut. et vitiis p. 421 apud Dind. l. c. I p. 140,4 . .

3) fragmenta edidit, ut antiquiores omittam, Muellerus Frg. Hist Graec. III p. 343 sqq. et Dindorfius, Hist. Graec. minor. tom. I p. 1 sqq.

4) De Nicolai Damasceni fragmento Escorialensi, quod inscribitur *Βίος Καίσαρος*. Diss. Bonn. 1869.

5) O. E. Schmidt. in Annal. Philol. class. Suppl. XIII pgg. 666 sqq. imprimisque p. 685: „Wenn wir nach den schriftlichen Quellen des Nicolaus fragen, so muss constatiert werden, dass wir aus seinen Fragmenten keinerlei sichere Handhabe zu einem Urteile darüber entnehmen können, welche Bücher er etwa benutzt haben dürfte".

posse desperavit. Tandem Godtius[1]), Froehlichius[2]), Kornemannus[3]) rationem aliquam inter eum et Asinii libros, qui apud Appianum, Plutarchum, Dionem, Suetonium exstant, intercedere intellexerunt; sed quae esset haec ratio ne hi quidem perspicere potuerunt, cum falsis opinionibus instructi ad rem accessissent. Neque enim cognoverunt Appianum Plutarchumque non ex Asinio ipso sed ex Graeco quodam Anonymo, qui illum exscripsisset, hausisse[4]), ut omittam, quod nec Godtius[5]) nec Kornemannus[6]) intellexerunt Livium a Nicolao adhiberi non potuisse.[7]) Quae cum ita sint, denuo de illorum capitum XIX—XXVII fontibus quaestio est instituenda. Sed cum de fontibus ceterorum Nicolai fragmentorum, quae ad res Romanas spectant, accurate diligenterque adhuc non sit disputatum, quamquam hic illic Muellerus verum iam vidit, de iis quoque disserere est mihi propositum.

Atque haec sunt fragmenta Romana, quae servata habemus[8]):

frg. 76. de Mithridatis voracitate (Athenaeus 10, p. 415 E) e libro 103.
frg. 77a. de Mithridatis adulatore Sosipatro. (Athenaeus 6. p. 252 F.)
frg. 77b. de Chiorum servitute. (Athenaeus 6, p. 266 E.)

1) Plutarchs und Appians Darstellung von Cäsars Ende. Progr. Haderslebense. 1880.

2) De rebus inde a Caesare occiso usque ad Senatum Liberalibus habitum gestis. Diss. Berol. 1892. p. 50 sqq.

3) In annal. philolog. class. Suppl. XXII p. 586 sq.

4) cfr. prae ceteris Thouretum: de Cicerone Asinio Pollione C. Oppio in Stud. Lips. I,1. 1878. pgg. 332 sqq. et Paulum Ottonem: Quaestion. Strabonian. in Stud. Lips. Suppl. XI, 1889. pagg. 245—268.

5) l. c. p. 18: „Da Livius mit dem Jahre 8 v. Chr. schliesst, ist die Möglichkeit einer Benutzung desselben durch Nicolaus Damascenus nicht ausgeschlossen".

6) l. c.

7) cfr. si placet, quae disputavi pag. 33.

8) Seriem fragmentorum eandem exhibui, quam Dindorfius.

frg. 78. de terrae motu Mithridaticis temporibus circa Apameam facto (Athenaeus 8. p. 332 F) e libro 104.

frg. 79. de Sulla scurris delectato (Athenaeus 5. p. 261 C) e libro 107.

frg. 80a.[1]) de lacu quodam circa Alpes sito (Athenaeus 15, p. 682 A) e libro 108. Quod fragmentum fortasse ad Pompei per Alpes in Hispaniam iter spectat. Cfr. App. b. c. I 109.

frg. 80b.[1]) de Luculli voluptate (Athenaeus 12. p. 543 A) e libro 110.

frg. 81. de gladiatorum spectaculis inter epulas editis (Athenaeus 4. p. 153 F) e libro 110.

frg. 83. de Judaeorum pietatis studio. (Josephus Ant. Jud. 14, 4, 3.)

frg. 84. de Pompei expeditione Judaica. (Josephus Ant. Jud. 14, 6, 4.)

frg. 85. (ad annum DCCII spectans) de Licinii Crassi adulatore Andromacho (Athenaeus 6, p. 252 D) e libro 114.

frg. 86. (ad annum DCLXXXXVIII spectans) de Gallis Solduriis (Athenaeus 6, p. 249 A) e libro 116. Aut numerum 114 aut n. 116 corruptum esse rectissime Muellerus l. c. pag. 418 monuit.[2])

frg. 87. de Porcia Bruti uxore (Plutarchus Bruti c. 53).

---

[1]) Equidem plane nescio, cur Dindorfius l. c. pagg. 76/77 haec duo fragmenta in unum coniunxerit.

[2]) Alius quoque libri numerus corruptus videtur esse, dico num. libr. 123. 124, quibus libris a Josepho 12, 3, 2 factum quoddam anni DCCXXXVIII attribuitur. Qui numeri si recte se haberent, Nicolaus a. DCCII—DCCXXXVIII, id est annos 36, 9 aut 10 libris, a. DCLXVI—DCCII, id est item ann. 36, 11 libris narravisset, scilicet si numerus 114 incorruptus est (cfr. frg. 85). At si numerus 116 incorruptus est (cfr. frg. 86), anni DCIIC - DCCXXXVIII id est anni 40, 7 aut 8 libros, anni DCLXVI—DCIIC, id est anni 32, 13 libros complexi essent. Equidem cum a me impetrare non possim, ut Nicolaum de rebus ante a. DCCII aut DCIIC factis fusius narrasse arbitrer quam de eis, quae post acciderunt, numeros 123. 124 corruptos ac fortasse in num. 133/134 mutandos esse duco.

Quam in tabulam fragmentorum Romanorum non recepi frg. 69. 70 Muelleri, id est 68. 69 Dindorfii. quae ad historiam regis Romuli spectantia cum Dionys. Halicarnass. I, 82 sqq. et II, 32 sqq. ad litteram concinunt. Quod furtum inauditum factum esse a Nicolao cum Valesius[1]), Muellerus[2]), Ritschelius[3]), Rohdius[4]), Kiesslingius[5]), Pais[6]), sibi persuasissent, Coraesius[7]), Orellius[8]), Dindorfius[9]), Susemihlius[10]), Wachsmuthius[11]) illum tam impudentem ne dicam insanum fuisse concedere noluerunt. Quin etiam Asbachius[12]) Nicolaum ne si voluisset quidem Dionysio uti potuisse contendit, cum in historia regum Romanorum componenda ille non ita multo post annum DCCXXXVIII occupatus fuisset, Dionysius autem anno DCCXLVI opus edidisset.

Praeter quod argumentum haec me movent, ne Nicolaum furti impudentissimi accusem.

Atque primum tota res pendet ab hac subscriptione fragmentis 68/69 subiecta:

Τέλος τοῦ ἑβδόμου λόγου τῆς Νικολάου ἱστορίας · ζήτει τὰ λείποντα περὶ Ἑλληνικῆς ἱστορίας . . .

Qua de subscriptione ut recte iudicemus, haec moneo. Excerptores Constantini totam materiam historicam in LIII titulos digesserunt, velut περὶ πρεσβειῶν, περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, περὶ ἐπιβουλῶν. Quibuscum comparatus cum titulus περὶ Ἑλληνικῆς ἱστορίας mire excogitatus videretur, E. Schulzius[13])

---

[1]) p. 70.
[2]) p. 409. 410.
[3]) Opuscul. I 532.
[4]) In annal. philolg. 1871. p. 578.
[5]) In Museo Rhenano, XXIII, p. 673.
[6]) Storia di Roma, I,1. p. 93. annot. 1.
[7]) Edit. Parisina, p. 369. 1805.
[8]) Edit. Lipsiens. 1804.
[9]) In annal. Philolog. XCIX, p. 111 sqq.
[10]) l. c. II p. 315.
[11]) Einleitung in d. Studium d. alten Geschichte p. 106 annot. 1.
[12]) In Mus. Rhen. XXXVII, p. 296.
[13]) De excerpt. Constant. Quaest. critic. Dissert. Bonn. 1866. p. 4. annot. 1.

et Waeschkius[1]) falsum eum esse statuerunt. Sed fortasse dixerit quispiam excerptores operi toti alterum titulum περὶ Ἑλληνικῆς, alterum περὶ Ῥωμαικῆς ἱστορίας, quasi προπαιδευτικὸν praemisisse. At conferas verba, quae praefatione extr. tituli περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας leguntur: ὧν κεφαλαιωδῶν ὑποθέσεων ἡ προκειμένη αὕτη καὶ ἐπιγραφομένη περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας πεντηκοστὴ οὖσα τυγχάνει τῆς πρώτης τὸ ἐπώνυμον λαχούσης: περὶ βασιλέων ἀναγορεύσεως.[2]) Quibus ex verbis quoniam sequitur, ut primus titulus fuerit: περὶ βασιλέων ἀναγορεύσεως, non περὶ Ἑλληνικῆς ἱστορίας, rectissime Schulzius et Waeschkius hunc titulum falsum iudicarunt. Itaque cum tit. περὶ Ἑλληνικῆς ἱστορίας numquam exstiterit, totius subscriptionis fides in dubium vocanda est. Nam quoniam hanc subscriptionis partem (ζήτει τὰ λείποντα περὶ Ἑλληνικῆς ἱστορίας) falsam esse probavimus, ne illi quidem (Τέλος τοῦ ἑβδόμου λόγου τῆς Νικολάου ἱστορίας) credere possumus.

Praeterea equidem non video quomodo fieri potuerit, ut Nicolaus, cuius opus CXLIV libros complexum esse Athenaeus VI, p. 249 A memoriae prodit (frg. 86), in libro septimo iam de regibus Romanis narraret. Nam etiamsi rebus Graecis usque ad Pisistratidas expulsos expositis ad res Romanas se vertisset atque iis usque ad reges eiectos memoriae proditis redisset ad res Graecas, tamen cum de Lycurgo in libro sexto[3]) narravisset, fieri non potuit, ut de Romulo in libro septimo traderet, nisi forte ab illo libr. sept. ita extensum esse putas, ut eum ne Hercules quidem volvere posset.

Atque ut tandem quivis dubitare desinat, reputemus quam ridicule Nicolaus Dionysium ad litteram expilandum electurus fuerit. Dionysius enim libris quattuor res a regibus Romanis gestas exponit. Atqui Livius, cuius opus CXLII libros complexum est, de eodem temporis spatio uno libro narrat. Nonne mirum esset, si Nicolao res Romanas

[1]) Philolog. XLI, p. 275/276.
[2]) cfr. Waeschkium l. c. p. 272. p. 279.
[3]) cfr. subscript. frag. 55.

LX aut LXX[1]) libris compondituro Dionysium verbotenus exscribere placuisset? Ne id quidem praetermittam, quod Dindorfius[2]) protulit. Qui vir doctissimus complura librariorum menda, quae iam Nicolai temporibus exstitisse verisimile non sit, et in fragmentis 68. 69. et in Dionysii codicibus deprehendi optime monet. Etiam hac ex re aliqua cum probabilitate concludere possumus fragmenta, de quibus agitur, posterioribus temporibus ex Dionysio transscripta esse.

Quae cum ita sint, equidem censeo fragmenta 68. 69. Nicolao abiudicanda esse. Haec hactenus.

Inter fragmenta Romana ne hoc quidem esse volui:

Joseph. antiquit. I, 3, 6 (fr. 75): Νικόλαος δὲ ὁ Δαμασκηνὸς ἐν τῇ ἐνενηκοστῇ καὶ ἕκτῃ βίβλῳ ἱστορεῖ περὶ αὐτῶν λέγων οὕτως. Ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν, Βάρις λεγόμενον· εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι, καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ τὴν ἀκρώρειαν ὀκεῖλαι καὶ τὰ λείψανα τῶν ξύλων ἐπὶ πολὺ σωθῆναι· γένοιτο δ' ἂν οὗτος, ὅντινα καὶ Μωυσῆς ἀνέγραψεν ὁ Ἰουδαίων νομοθέτης.

Quod fragmentum a Nicolao narrationi rerum Mithridaticarum insertum esse Muellerus[3]) existimabat. Sed cum vel id incertissimum sit ad res Mithridaticas frg. spectare, quoniam multae erant occasiones, quibus de ea re Nicolaus disserere posset, illud quidem pro certo statuendum est narrationi belli a Mithridate cum Romanis gesti non esse insertum. Nam cum Nicolaus libro CIII[4]) de Mithridatis voracitate, libro CIV[5]) de motu terrae Mithridaticis temporibus facto tradiderit, incredibile est eum iam libro LXXXXVI bellum Mithridaticum attigisse.

Maior fragmentorum quae restant pars Romanos rebus Orientis implicatos nobis proponit. Etiam hac ex re

[1]) Opere enim CXLIIII libr. complexo de rebus Orientis, Graecis, Romanis tradiderat, cfr. fragmentum 86.
[2]) In annal. Philolog. LXXXXIX, p. 113.
[3]) Frg. Hist. Graec. III, p. 415.
[4]) frg. 76.
[5]) frg. 78.

concludendum est Nicolaum ut hominem orientalem maiore studio de rebus orientalibus narrasse quam de occidentalibus.

Quoniam de historiis Nicolai in universum disputavimus, transeamus ad librum de vita Augusti compositum. Cuius opusculi de titulo tria testimonia spectanda sunt:

Suid: s. v. Νικόλαος: ἔγραψεν . . . τοῦ βίου Καίσαρος ἀγωγήν . . .
Subscriptio. capit. XV. Nicol. τέλος τοῦ βίου Καίσαρος τοῦ νέου . . .
Subscript cap. 31. τέλος τοῦ βίου Καίσαρος.

Accepta coniectura Gutschmidii, qui tit. Suid. (Script. min. V, p. 539) ita mutandum censet: ἔγραφεν . . . τοῦ νέου Καίσαρος ἀγωγήν . . . Nicolai operi tit. βίος Καίσαρος τοῦ νέου esse inscriptum verisimile est. Nectamen quicquam pro certo affirmaverim.

Certius equidem de tempore, quo libellus editus sit, iudicare audeo, quamvis magna hac de re sit controversia . . Asbachius[1]) enim, Godtius[2]), Kruegerus[3]), post mortem Augusti in lucem prolatum eum esse statuerunt. Quos sequaris cave, cum argumenta ab illis allata nullo numero sint. Primum enim ea similitudo, quae inter Nicol. cap. I[4]) et Monument. Ancyran. V, 44[5]) intercedit, levior est singularisque. Deinde cur Asbachius haec cap. I. verba: ναοῖς τε καὶ θυσίαις γεραίρουσιν (sc. Augustum) non ante mortem imperatoris scribi potuisse contenderit, plane nescio. Denique minime, ut Kruegerus statuit, hic locus cap. I: οὗτος ὁ ἀνὴρ πλείστων μὲν ἦρξεν ἀνθρώπων τῶν διὰ μνήμης . . . Augustum regnare tunc iam desiisse demonstrat, cum

1) l. c. p. 297.
2) l. c. p. 18.
3) Aemilius Kruegerus: De rebus inde a bello Hispaniensi usque ad Caesaris necem gestis. Diss. Bonn. 1895.
4) ὧν δὲ πρότερον οὐδὲ ὀνόματα ἠπίσταντο οἱ ἄνθρωποι οὐδέ τινος ὑπήκοοι ἐγένοντο . . .
5) Pannoniorum gentes, quas ante me principem populi Romani exercitus numquam adiit.

ἦρξεν non idem sit, quod „imperium tenuit“, sed potius quod „imperium occupavit“.

Immo pro certo affirmari potest opusculum, quoniam non Augusti, sed Nicolai causa compositum est, vivo Augusto esse editum. Quo mortuo, quis historico nostro gratiam rettulisset? Num tu Tiberium putas, inter quem vitricumque numquam vera sinceraque amicitia intercesserit? Equidem Nicolaum perspecturum fuisse persuasum habeo nihil imperatorum aestimationi magis nocere quam decessorum magnitudinem. Itaque quoniam eruimus ante a. 14 p. Chr. libellum Nicolai editum esse, nunc quaeritur, post quem annum emissus sit. Qua de re, ut recte statuas, haec conferas cap. I. verba: ἡμερωσάμενος ὁπόσοι ἐντὸς (Vales; cod. ἐν τοῖς) Ῥήνου ποταμοῦ κατοικοῦσιν, ὑπέρ τε τὸν Ἰόνιον πόντον καὶ τὰ Ἰλλυριῶν γένη. Παννονίους αὐτοὺς καὶ Δᾶκας καλοῦσιν . . . Quae verba cum ad Drusi expeditiones in Germania 12—9 a. Chr. factas, ad Pannonios a Tiberio ann. 12—9 a. Chr. domitos, ad Dacas anno 10 a. Chr. ex Pannonia reiectos spectant (cfr. Mon. Anc. V, 44 sqq. ibique Mommsen), non ante a. 9 a. Chr. scripta esse possunt. Igitur libellus Nicolai inter annos 9 a. Chr. et 14 p. Chr. editus est.

Haec de tempore, de loco, quo opusculum confectum sit, prorsus nihil statui potest. Quamquam viri doctissimi Muellerus[1]), Gutschmidius[2]), Schmidtius[3]), Apolloniae compositum esse ex cap. XVI initio coniecerunt: Ὅτι ὁ νέος Καῖσαρ τρίτον ἄγων ἐν τῇ Ῥώμῃ μῆνα ἐνταῦθα (= Apolloniae) λοιπὸν παρεπεδήμει . . . . Quem locum mutilatum esse luce clarius est; nam cum fieri nequeat, ut quisquam τρίτον μῆνα ἐν Ῥώμῃ ἄγων Apolloniae versetur, lacunam post verbum μῆνα mecum statuas.

Quibus praemissis tandem ad nostram rem transeamus scilicet ut quos auctores Nicolaus secutus sit exquiramus.

1) l. c. p. 434.
2) l. c. p. 539.
3) l. c. p. 685.

Atque ut Polybius[1]) earum rerum, quae ‚ante remotum Carthaginis metum‛ acciderunt, paene omnibus scriptoribus auctor gravissimus exstitit, ita earum, quae post ‚sublatam imperii Romani aemulam‛ factae sunt, Posidonius Rhodius. Quem quoniam et Pompeius Trogus[2]) et Diodorus[3]) et Plutarchus[4]) et Strabo[5]) et Timagenes[6]) et Appianus[7]) aut huius fons adhibuerunt, haud absurdum est conicere Nicolaum quoque eo usum esse.

Neque aliter se res videtur habere. Cfr. frg. 77 b. Νικόλαος δ' ὁ Περιπατητικὸς καὶ Ποσειδώνιος ὁ Στωικὸς ἐν ταῖς Ἱστορίαις ἑκάτερος τοὺς Χίους φησὶν ἐξανδραποδισθέντας ὑπὸ Μιθριδάτου τοῦ Καππάδοκος παραδοθῆναι τοῖς ἰδίοις δούλοις δεδεμένους, ἵν' εἰς Κόλχων γῆν κατοικισθῶσιν . . . Quo ex loco iam Muellerus III, p. 415 collegit, Posidonium a Nicolao adhibitum esse. Idem statuendum est de frg. 79. cfr.

Nicol. fr. 79.

Νικόλαος . . . Σύλλαν φησὶ . . . οὕτω χαίρειν μίμοις καὶ γελωτοποιοῖς φιλογέλων γενόμενον.

Plut. Sull. 36.

(Σύλλας) . . . συνῆν μίμοις γυναιξὶν καὶ κιθαριστρίαις καὶ θυμελικοῖς ἀνθρώποις ἐπὶ στιβάδων ἀφ' ἡμέρας συμπίνων . . .

Itaque cum frg. 77 b et 79 ex Posidonio fluxisse pro certo affirmari possit, quadam cum probabilitate haec quoque ad eundem referuntur:

frg. 76. de Mithridatis voracitate.
frg. 77a. de Mithridatis adulatore Sosipatro.

1) cfr. Wachsmuth. Einleitung in das Studium d. alten Geschichte. p. 639 sqq.
2) cfr. v. Gutschm. script. minor. I. p. 18 sq. et Wachsm. p. 115. annot. 3.
3) Wachsm. p. 95 sq.
4) Peter: Quellen Plutarchs in den Biographien d. Römer p. 56. 75. 103. 104. 114. 141.
5) Wachsm. p. 654.
6) Susem. l. c. II p. 142.
7) C. Franklin Arnold annal. philol. class. Suppl. XIII p. 100 sqq. et Wachsm. p. 605.

frg. 78. de terrae motu circa Apameam facto; ad quod frg. Posidonium multum fuisse de terrae motibus rectissime Muellerus[1]) annotavit.

Quod in historias, idem in ea scripta cadere videtur, quae philosophiam continent. Nam cum et Nicolaus et Posidonius libros περὶ θεῶν et Μετεωρολογικά composuerint, verisimile est Rhodio Damascenum esse usum. Quodsi quis mirum putaverit, ut Peripateticus Stoicum adhibuerit, secum reputet ne ab illo quidem, qui libellum Pseudaristotelicum περὶ κόσμου exaravit, Posidonii Μετεωρολογικά neglecta esse[2]), quamquam ille non solum Peripateticus erat, sed Aristotelis ipsius personam induerat.

Quae quamquam ita sunt, tamen probare non possum in opere quod παραδόξων ἐθῶν συναγωγή inscribitur, Nicolaum Posidonio usum esse. Nam quod Muellerus p. 457 ad frg. περὶ Κελτῶν adnotavit: Haec hauserit vel ex Ephoro vel ex Posidonio, quos de his laudat Strabo VII, p. 293 vel ex Aristot. Eth. Eudem. II, c. 1 . . ., ex Posidonio certe frg. non fluxit, cum Nicolaus in eo idem memoriae tradidisset quod Posidonius ut falsum impugnarat. cfr.

Strabo VII p. 293.

οὐδὲ Κλείταρχος εὖ· φησὶ γὰρ τοὺς ἱππέας ἰδόντας τὴν ἔφοδον τοῦ πελάγους ἀφιππάσασθαι καὶ φεύγοντας ἐγγὺς γενέσθαι τοῦ περικαταληφθῆναι· οὔτε δέ τοσούτῳ τάχει τὴν ἐπίβασιν ὁρμωμένην ἱστοροῦμεν, ἀλλὰ λεληθότως προσιοῦσαν τὴν θάλατταν . . . Ταῦτά τε δὴ δικαίως ἐπιτιμᾷ τοῖς συγγραφεῦσι Ποσειδώνιος.

Nicol. fr. 5.

πλημμυρίδος δὲ ἐκ τῆς θαλάττης ἐπερχομένης μεθ' ὅπλων ἀπαντῶντες ὑπομένουσιν, ἕως κατακλύζωνται, ἵνα μὴ δοκῶσι φεύγοντες τὸν θάνατον φοβεῖσθαι.

Neque magis eo commoveor, quod et Nicolaus et Posidonius, cum de moribus Galactophagorum narrarent, hoc Homeri versu quasi fonte usi sunt:

Μυσῶν ἀγχεμάχων καὶ ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν
Γλακτοφάγων ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Diversissimis enim rationibus verbum ἀβίων explicant.[3])

1) III p. 416.
2) cfr. Zeller, Philosophie der Griechen III,1 p. 644 annot. 1.
3) Posidon. apud Strab. p. 296. *Λέγει ὁ Ποσειδώνιος* [Homerum Galactophagos] *ἀβίους προσαγορεύειν μάλιστα ὅτι χωρὶς γυναικῶν. ἡγού-*

Ut Posidonius sine ira et studio, quoad id fieri posset, historias composuisse putandus est. ita Theophanes Mitylenaeus, qui res a Pompeio in Asia gestas memoriae tradidit, magis novi Alexandri gloriam spectavit, quam veritatem. Quo cum inter alios Plutarchus[1]) et Appianus[2]) sive Plutarchi Appianique fons usus sit, mirum non est, ut hi scriptores multis in locis supra meritum extulerint Pompeium. Lucullum, cuius gloriae Pompeium obtrectasse, ut suam augeret, nemo ignorat, carpserint. Quam eandem obtrectationem apud Nicolaum quoque deprehendimus; cfr.

Nicol. fr. 80 b.	Plut. Luc. 38.
Νικόλαος ὁ Περιπατητικὸς ἐν τῇ δεκάτῃ καὶ ἑκατοστῇ τῶν ἱστοριῶν Λεύκουλλόν φησι ἀφικόμενον εἰς Ῥώμην καὶ θριαμβεύσαντα ἐξοκεῖλαι εἰς πολυτελῆ δίαιταν ἐκ τῆς παλαιᾶς σωφροσύνης, τρυφῆς τε πρῶτον εἰς ἅπαν Ῥωμαίοις ἡγεμόνα γενέσθαι καρπωσάμενον δυοῖν βασιλέοιν πλοῦτον.	*οἱ δὲ περὶ Κράσσον καὶ Πομπήιον ἐχλεύαζον τὸν Λούκουλλον εἰς ἡδονὴν ἀφεικότα καὶ πολυτέλειαν αὑτὸν ὥσπερ οὐ τοῦ τρυφᾶν μᾶλλον τοῖς τηλικούτοις παρ᾽ ἡλικίαν ὄντος ἢ τοῦ πολιτεύεσθαι καὶ στρατηγεῖν . . .*

Quoniam etiam verba Graeca concinunt, coniecerim et Plutarchi et Nicolai narrationem ex Mitylenaeo fluxisse. Nectamen noster omnia, quae de bello Mithridatico tertio, quod dicunt, memoriae prodiderat, Theophani solo videtur debere, sed cum ad Gabinii Pompeique in Syriam expeditiones narrandas accessisset, multa de suis copiis adiecisse putandus est. Nam quia in his rebus vel per se gravissimis Antipater[3]) Herodis pater non minimas partes egerat, Nicolaum quaecumque de iis comperire potuit summo studio collegisse existimes. Necnon potuit multa ex multis audire, velut ex Herode filio Antipatri et

μενον ἡμιτελῆ τινα βίον τὸν χῆρον. Nicol. fr. 3. *Ἀβίους δ᾽ αὐτοὺς λέγει ἢ διὰ τὸ γῆν μὴ γεωργεῖν ἢ διὰ τὸ ἀοίκους εἶναι ἢ διὰ τὸ χρῆσθαι τούτους μόνους τόξοις . . .*

[1]) cfr. Peter. l. c. p. 114 sqq.

[2]) cfr. Frankl. Arnold. l. c. p. 92 sqq.

[3]) cfr. Jos. Ant XIV, 1,3—2,3. Bell. Jud. I, 6,2—3.

ex suis ipsius civibus, cum Damasci non semel rerum, quae tunc agebantur, scaena constituta esset[1]).

Quibus praemissis rectius de fragmento 84 iudicare poterimus. cfr. Joseph. A. J. XIV, 6,4: Περὶ δὲ τῆς Πομπηίου καὶ Γαβινίου στρατείας ἐπὶ Ἰουδαίους γράφει Νικόλαος ὁ Δαμασκηνὸς καὶ Στράβων ὁ Καππάδοξ οὐδὲν ἕτερος ἑτέρου καινότερον λέγων . . .

Quae arta inter Strabonem Nicolaumque coniunctio quomodo exstiterit quaeritur, utrum et hic et ille Theophanem adhibuerit, an aut hic ex illius aut ille ex huius historiis hauserit. Quod facile est diiudicatu. Nam si revera οὐδὲν ἕτερος ἑτέρου καινότερον rettulerat atque si recte statuimus Nicolaum multa de suo narrationi Theophanis adiecisse, sequitur, ut Strabo non minus in historiis quam in geographiae[2]) libris Nicolao sit usus[3]).

Atque quadam ex parte Josephi verba nobis examinare licet. Nam cum in eius Antiquitates Judaicas narratio Nicolai per medium nescio quid fluxerit et cum earum rerum, quas Strabo in historiis de Pompei expeditione Judaica rettulerat, pars parva in geographiae libris adhuc exstet, Nicolaum cum Strabone comparare possumus. Quodsi frg. Strabonis 120[4]) cum Jos. XIV, 3,2. frg. 125 cum Jos. XIV, 4,1, frg. 126 cum Jos. XIV, 4,4 contuleris, iam intelleges miram similitudinem inter Nicolaum Strabonemque quondam intercessisse.

Sed a Nicolai historiis ad libellum, qui Βίος Καίσαρος τοῦ νέου inscribitur, transeamus. Neque enim de illarum fragmentis, quae restant, disserere e re est, priusquam in

[1]) cfr. Jos. Ant. XIV, 2,3 XIV, 3,1.

[2]) cfr. libr. XV, p. 719. fr. Nicol. 88.

[3]) Neque minus illud, quod Strabo de dira Ptolemaei Lathuri crudelitate memoriae prodiderat, ex Nicolao fluxit, cfr. fr. 74. — Ceterum iam Arnoldus Schaeferus, vir doctissimus, divinando perspexerat, quae ratio inter Nicol. et Strabonem intercederet. (Abriss der röm. Quellenkunde p. 88.)

[4]) Fragmentis Strabonis eundem numerum adscripsi quem Otto, frg. Strabonian. in stud. Lips. Suppl. XI, p. 119. 125. 126.

hunc inquisivimus. Quae quaestio ut procedat, primum circumspiciendum est, qui alii historici de morte Caesaris initiisque Augusti memoriae tradiderint.

Atque Appiani bellorum civilium librum secundum et eas Plutarchi vitarum partes, quae cum illo concinunt, ex Asinio Pollione fluxisse, Bailleus, (Quomodo Appianus in bellorum civilium libris II—V usus sit Asinii Pollionis historiis p. 27 sqq.) et Kornemannus (l. c. p. 644) probavere. Eundem Asinium etiam librorum III—V auctorem esse Kornemannus[1]) probabiliter statuit. Quam opinionem ita quidem rectam esse existimo, ut praeter Asinii libros Augusti commentarios ab Appiano ipso adhibitos esse cum Soltauio[2]) arbitrer. Nectamen pluribus fontibus Appianum usum esse puto, immo Soltauius mihi quidem errare videtur, cum illum et ex Theophane[3]) et ex Socrate Rhodio[4]) hausisse contendat. Theophanem enim imprimis IV. 12—51[5]) ab Appiano exscriptum esse, Soltauius inde effici opinatur, quod haec capita rhetor Graecus composuerit, qui Sexto faverit Pompeio, quemque liberae rei publicae Romanae studuisse ex eo concludendum sit, quod proscriptiones vehementissime improbet. Quae argumenta sufficere mihi non videntur. Asinium enim Pollionem aliqua cum benignitate res a Sexto Pompeio gestas narrasse, non est, quod mireris, quoniam ille patrem huius ubicumque potuit excusarat[6]). Praesertim cum Sextus cap. 12—51 partes eius agat, qui proscriptionum miserias pro parte virili minuere conatur, Asinium autem proscriptiones summopere improbasse nemo non concedat, qui, quae Kornemannus p. 620 sqq. exposuit, perpenderit. Deinde quod Soltauius in capp. 12—51 vestigia rhetoris Graeci deprehendisse putat, inde equidem plane nihil concludendum existimo,

[1]) l. c. p. 649 sqq.
[2]) Appians Bürgerkriege. In Philolog. vol. suppl. VII, p. 597 sqq.
[3]) l. c. p. 607 sqq.
[4]) l. c. p. 616 sqq.
[5]) Ceteros locos vide apud Soltauium p. 629 sq.
[6]) cfr. Kornem. l. c. p. 614 sqq.

quoniam ea ab Appiano ipso originem traxisse possunt. Ceterum non sine causis gravissimis statuerim, eundem Theophanem, qui iam ante a. 62[1]) opus de bello a Pompeio contra Mithridatem gesto composuerat, etiam de rebus, quae post Caesarem interfectum acciderant, libros exarasse. Quae cum ita sint, Soltauium verum non vidisse censeo. Neque aliter iudicarim de ea viri docti opinione, qua putat fontem Appiani in enarrandis pugnis a Cassio et Bruto in Asia editis proelioque Philippensi Socratem fuisse Rhodium. Quam coniecturam eo conatur probare, quod auctor illorum Appiani capitum rhetor fuerit Graecus, cuius animus commotus sit detrimento Lyciae et Rhodo a Bruto et Cassio illato (p. 623), qui Bruto et Cassio faverit (! p. 623), qui non minus Antonio faverit (!! p. 623), qui singula quaedam de libidinum intemperantia Antonii memoriae tradiderit (p. 621). Talem virum Socratem Rhodium fuisse equidem ut credam a me impetrare non possum.

Quae cum ita sint, id unum quaeritur, utrum Appianus et Plutarchus Asinio ipso usi sint an Anonymo quodam, qui illum adhibuerit[2]). Quod haud difficile est diiudicatu. Nam cum tantae inter Appianum Plutarchumque similitudines intercedant, ut non solum rerum, sed etiam verborum Graecorum concordiam deprehendamus[3]), ab utroque Graecum quendam expilatum esse apparet. Qui quis fuerit, adhuc nemo eruit.

Nam quod Otto[4]) Strabonem eum esse coniecit, iam Kornemannus[5]) et Schwartzius[6]) nequaquam probanda argumenta esse demonstraverunt, quin etiam Schwartzius saepe Appianum a Strabone dissentire. Quae quidem

[1]) cfr. Fabricius, Theophanes v. Mytilene & Q. Dellius p. 6 sq.
[2]) cfr. Kornemann. l. c. p. 560 sqq.
[3]) cfr. Thouret. l. c. p. 341 sq. Otton. l. c. p. 246 sqq.
[4]) Quaestion. Strabon. p. 245 sqq. In Stud. Lips. vol. XI suppl.
[5]) l. c. p. 566 sqq.
[6]) In Encycl. real. Paul. Wiss. s. v. Appian. p. 235—237.

discrepantiae[1]) prorsus coniecturam Ottonis infringunt, praesertim cum iis eam addideris, quam Kornemannus[2]) protulit, cfr. Plut. Caes. 23, 2 et App. Celt. fr. I, 5 cum Strab. Geogr. IV, 5. Accedit quod Kornemannus[3]) ingenii Asiniani proprietates bellorum Appiani civilium cum in libris III—V, tum in libro II passim occurrere probavit. At quis putet a Strabone, qui diligentissime fontes quam plurimos perscrutari solebat, unum et solum Asinium exscriptum esse, praesertim cum Groscurdius[4]) probarit, Romanis scriptoribus raro Strabonem usum esse, quippe qui Latine non ita sciret, ut Graece.

Quae quamquam ita sunt, tamen coniecturam Ottonis paucis ante mensibus Soltauius[5]) denuo firmare conatus est, sed argumentis, quae eodem numero sunt, quo Ottonis. Quibus ne id quidem probatur, rationem aliquam inter Appianum et Strabonem intercedere, multo vero minus, ab illo hunc esse exscriptum. Quid quod etiam in iis locis, quibus allatis Soltauius coniecturam Ottonis firmari existimat, maximae discrepantiae inter Appianum Strabonemque inveniuntur; cfr.

App. Ill. 30.	Strab. Geogr. 7, 319.
Μυσοὺς δὲ Μάρκος μὲν Λεύκολλος, ὁ ἀδελφὸς Λικινίου Λευκόλλου τοῦ Μιθριδάτῃ πολεμήσαντος, κατέδραμε καὶ μετήνεγκε τὸν μέγαν Ἀπόλλωνα τὸν ἀνακείμενον ἐν τῷ Παλατίῳ.	. . . . Μάρκος Λεύκολλος τὸν κολοσσὸν ἦρε καὶ ἀνέθηκε ἐν τῷ Καπετωλίῳ τὸν τοῦ Ἀπόλλωνος.

1) Sed haec mihi in Schwartzii argumentatione minus placent. Primum enim ei discrepantiae, quae inter App. Mithr. 52 et Strab. XIII, 594 intercedit, equidem vim non tribuerim. Deinde num App. Mithr. 53 cum Strab. XIII, 594 pugnet, maxime dubium est, quoniam locus Strabonis corruptus est. Quod Catonis legationem, Spurinnae vaticinationem alii tempori Appianus attribuit atque Strabo, inde nihil effici puto, cum haec perturbatio fortasse ab Appiano ipso originem traxerit. Denique quod App. Mithr. 23 nihil tradit de 800 talentis Judaeorum, id prorsus nullius momenti esse existimo.

2) l. c. p. 607 annot. 248.

3) p. 644 sqq. et passim.

4) Strabons Erdbeschreibung, pag. XXXV seq.

5) l. c. p. 624 sqq.

Praeterea:

App. Ill. 1.	Strabo 7, 317.
Καί ἐστι τὸ μὲν εὖρος ἡμερῶν Πέντε, τὸ δὲ μῆκος τριάκοντα καθὰ καὶ τοῖς Ἕλλησιν εἴρηται . . .	Θεόπομπος δὲ τὸν πάντα ἀπὸ τοῦ μυχοῦ πλοῦν ἡμερῶν ἓξ εἴρηκε, πεζῇ δὲ τὸ μῆκος τῆς Ἰλλυρίδος καὶ τριάκοντα πλεονάζειν δέ μοι δοκεῖ.

Quo loco Soltauius, cum Appianum num. 6 in num. 5 ob eam rem mutasse putet, quod Strabo addiderat; πλεονάζειν δέ μοι δοκεῖ, non pensitavit, Appiano, si modo verborum illorum rationem ullam habuisset, etiam num. 30 diminuendum fuisse. Itaque Anonymum Graecum Strabonem esse fortiter nego.

Nec magis mihi coniectura Reglingii[1]) placet, qua Anonymum illum Timagenem fuisse putat. Primum enim rectissime Gutschmidius[2]) statuit hunc rebus geographicis maxime studuisse, quod in studium ille non ita incubuit. Velut quae de Britannia Anonymus protulit, plena sunt errorum. cfr. Plut. Caes. 23, 2 App. Celt. frg. I. Deinde Anonymus peccata Pompei pro virili parte excusaverat[3]), cum Timagenem animo infestissimo in Pompeium fuisse probetur frg. 6.[4]) Denique ut Appiani auctor summopere Romanis favit, bellum civile deploravit, socios contemptui habuit[5]), ita Timagenes Parthis favit, Romanos oderat. Ergo, ut Anonymum Graecum Timagenem fuisse arbitrer, equidem — pace amici dixerim — a me impetrare non possum.

Ne Kornemannum[6]) quidem verum vidisse puto qui versionem Asinii Graecam Appiani Plutarchique fontem communem fuisse existimat. Quod ut falsum evincatur, unum moneo. Caesar, cum in Africa adversus Scipionem eiusque socios pugnaret, signiferum fugientem sustinuit

1) De belli Parthici Crassiani fontibus, p. 59 annot. 115.

2) In Scrip. min. V, p. 226.

3) Kornem. l. c. p. 614 sqq.

4) Mueller, Frag. Hist. Gr. III, p. 322.

5) cfr. Kornem. l. c. p. 620 sqq. imprimis p. 624. p. 568 annot. 52.

6) Kornem. l. c. p. 578.

quondam iterumque hostibus obiecit.[1]) Quod utrum factum esset necne se dubitasse verbo λέγεται addito et Appianus significat et Plutarchus. Itaque ut hoc verbum iam in fonte communi exstabat, ita minime ab Asinio ipso adiectum erat. An putas illum, qui tum Caesaris legatus fuerat[2]), dubitasse accidissetne ea res necne? Simile quiddam habes App. B. C. II, 112 med. Plut. Brut. V. init., quibus locis Caesar ante pugnam Pharsalicam legatis suis ut parcerent Bruto imperasse traditur. Nam quamquam Asinius ipse unus ex his legatis fuerat[3]), tamen et Appianus et Plutarchus verbum λέγεται narrationi adiciunt. Quibus ex rebus sequitur, ut uterque Graecum auctorem adhibuerit, qui Pollionem non convertit, sed suo iudicio eo est usus.

Ex Asinio non solum hunc Graecum Anonymum, sed etiam Livium hausisse paene inter omnes constat.[4]) Nec minus convenit Patavino Dionem permulta debere. Sed alios quoque scriptores ab hoc adhibitos esse vel per se verisimile est, cum duos et viginti annos operi suo studium navaverit. cfr. LXXII, 23. συνέλεξα δὲ πάντα τὰ ἀπ' ἀρχῆς τοῖς Ῥωμαίοις μέχρι τῆς Σεουήρου μεταλλαγῆς πραχθέντα ἐν ἔτεσι ι καὶ συνέγραψα ἐν ἄλλοις ιβ. Neque desunt huius rei vestigia; cfr.

Dio XLIV, 11.	Plut. Ant. XII.
ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῇ τῶν Λυκαίων γυμνοπαιδίᾳ . . . καὶ ἐπὶ τοῦ βήματος τῇ τε ἐσθῆτι τῇ βασιλικῇ κεκοσμημένος . . .	ἦν γὰρ ἡ τῶν Λυκαίων ἑορτή, Καῖσαρ δὲ κεκοσμημένος ἐσθῆτι θριαμβικῇ καὶ καθήμενος ὑπὲρ βήματος . . .

Quem consensum effici non potuisse, nisi Dio aut Plutarcho aut Anonymo Graeco usus esset, luce est clarius. Atqui ex hoc locum Dionis non fluxisse equidem pro certo affirmare audeo. Quod ut tibi quoque persuadeam, haec conferas:

[1]) cfr. App. II, 95. Plut. Caes. 52.
[2]) cfr. Plut. Caes. 52.
[3]) App. C. c. II, 82. Plut. Pomp. 72. Suet. Caes. 30.
[4]) cfr. Kornemannum l. c. p. 583 sqq.

Plut. Caes. 61.	App. II, 109.
ἦν μὲν γὰρ ἡ τῶν Λουπερκαλίων ἑορτή . . .	θεώμενον αὐτόν . . . τὰ Λουπερκάλια . . .

Anonymus igitur Graecus diem illum festum non ut Dio et Plutarchus (in vit. Anton.) Λύκαια, sed Λουπερκάλια appellarat . . . Haec quoque compares:

App. II, 109.	Plut. Caes. 61.
θεώμενον αὐτὸν ἐπὶ θρόνου χρυσέου πρὸ τῶν ἐμβόλων	ἐθεᾶτο καθήμενος ἐπὶ τῶν ἐμβόλων ἐπὶ δίφρου χρυσοῦ

Itaque apud Anonymum verbum ἐμβόλων legebatur; atqui apud Dionem et Plutarchum (in vit. Anton.) verbum βήματος exstat. Ergo Dio non Anonymum, sed Plutarchum hic — et fortasse aliis quoque locis — adhibuit.

Ut Dionem ita Suetonium multa Livio debere non est quod hic probemus. Nectamen omnia ex uno scriptore hausit, ut qui non pauca legisset et pervolutasset. Velut Asinio ipso eum usum esse non nemo contendit.[1]) Quod certis argumentis firmare perdifficile est. Neque enim satis est similitudines, quae passim inter eum Appianumque intercedunt, in medium proferre, cum eae per Livium in Suetonium manare potuerint; sed iis tantum Suetonii locis res absolvitur, qui et cum Appiano congruunt neque ex Patavino fluxerunt. Quales locos Livio amisso nullos deprendi posse qui opinatur, is haec cap. 80 verba perpendat: Conspiratum est in eum a sexaginta amplius C. Cassio Marcoque et Decimo Bruto principibus coniurationis . . . Praeter quos a Livio[2]) Trebonius quoque inter coniurationis principes nominatus erat. Atqui Appianus[3]) ut Suetonius nullam huius mentionem iniecit. Num casu evenisse putas, ut hic eundem omitteret quem ille? Immo, Suetonius hoc loco non Livium inspexit, sed Asinium, quo Appiani fontem usum esse dixi.

[1]) cfr. Kornemann. l. c. p. 585.
[2]) Vellei. II, 56 (quem Livio usum esse constat), Dio. Cass. XLIV, 14. Perioch. 116 . . .
[3]) II, 111.

Facilius quam de Suetonii, de Zonarae fontibus iudicari potest, cum paucos scriptores, prae ceteris Dionem et Plutarchum, eosque paene verbotenus expilaverit. Tamen de duobus locis etiam a Büttner-Wobstio[1]) silentio praetermissis quid statuam dubius haereo; cfr.

Zonar. 492 C.	Nicol. 26 init.
καὶ ὁ μὲν οὕτω σφαγεὶς ἔκειτο (scil. Caesar.)	ὁ δὲ νεκρὸς ἐκεῖ ἔκειτο . . .

Verba aut eadem aut similia neque apud Dionem neque apud Plutarchum legi. Alter locus hic est: 508 C. Πορκία δ' ἡ τοῦ Βρούτου γυνή, Κάτωνος δὲ θυγάτηρ, φυλαττομένη καὶ μὴ ἐωμένη ἑαυτὴν ἀνελεῖν ἄνθρακας ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάσασα καὶ καταπιοῦσα ἀπέθανεν. Quem cfr. cum:

Appian. IV, 136.	Dion. Cass. XLVII, 49.
Πορκία δ' ἡ Βρούτου μὲν γυνή, Κάτωνος δὲ ἀδελφὴ τοῦ νεωτέρου . . . φυλασσομένη πρὸς τῶν οἰκείων πάνυ ἐγκρατῶς ἐσχάρας πυρὸς ἐνεχθείσης ἁρπάσασα τῶν ἀνθράκων κατέπιεν . . .	ἡ δὲ δὴ Πορκία ἄνθρακα διάπυρον καταπιοῦσα ἀπέθανε.

Videtur Zonaras suam de Porciae morte narrationem ex Appiani Dionisque conglutinasse.

Quoniam de Asinio Asinianisque rivulis disseruimus, ad alium fluvium non tam large fluentem transeamus, Augusti dico tredecim de vita ipsius libros. Quos inter annos DCCXXVII et DCCXXXXII editos esse apparet, cum imperator Cantabrico tenus bello, quod per annos DCCXXVII—DCCXXX gestum est, neque ultra exposuerit[2]) opusque Maecenati et Agrippae, qui anno DCXXXXII mortuus est, dedicaverit[3]). Atque hos commentarios eo consilio Augustus videtur composuisse, ut crimina, quae

[1]) Die Abhängigkeit des Geschichtsschreibers Zonaras von den erhaltenen Quellen. In Comm. Fleckeis. p. 123 sqq.

[2]) cfr. Suet. Aug. cap. 85.

[3]) cfr. Plut. comp. Dem. et Cic. 3 frg. 6. Peter. fr. hist. Rom. p. 252. 254.

multa ei obiciebantur, defenderet. Itaque quamquam res non simpliciter sincereque tamen ab eo expositae erant, qui omnibus paene in rebus a Caesaris nece usque ad bellum Cantabricum gestis summas partes egerat. Quae cum ita essent, Augusti commentarii avide ab historicis expilati sunt. De Suetonio Velleioque[1]) disserere necesse non est, necesse est Livio. Conferas:

Suet. Aug. 95	cum Plinii H. N. II, 28.
Ingrediente eo (scil. Octaviano) urbem circulus ad speciem coelestis arcus orbem solis ambiit.	. . . . specie coronae et versicoloris circuli . . .

aliaque ex parte:

Senec. Nat. Quaest. I, 2	cum Obseq. 68 (128).
qualis esse in arcu solet	qualis tendi arcus in nubibus solet . . .

Hos ex Livio hausisse apparet; illos Augusti commentariis usos esse magna cum probabilitate Muenzer, Quellenkritik des Plinius, pagg. 249/250, coniecit. Quoniam autem Suetonii Pliniique narratio cum Obsequentis Senecaeque paene mirum in modum congruit, verisimile est Patavinum hoc loco ex imperatoris commentariis hausisse.

Quibus commentariis ut Livius ita Anonymus Graecus videtur usus esse, cum eodem loco eisdemque verbis et Appianus et Plutarchus imperatorem testem afferant. Cfr. Plut. Ant. 22, ὡς δὲ αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν γέγραφε . . . . App. l. c. IV, 110, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἔγραφεν . . . Nec minus Plutarchus, cum de Augusti vitȧ scriberet, hunc ipsum adhibuisse putandus est. Quem ne ab Appiano quidem, neglectum esse, Soltauius summa cum probabilitate statuit. (cfr. Ill. cap. 14. Ἐν δὲ τοῖς ὑπομνήμασι τοῦ δευτέρου Καίσαρος τοῦ κληθέντος καὶ Σεβαστοῦ παλαιότερον μὲν οὐδὲν οὐδ' ἐν τοῖςδε περὶ Παιόνων ηὗρον . . .) Magis dubium est, utrum Dio Augustum ipsum in manibus habuerit necne; cfr.

[1]) cfr. Frider. Burmeister: de fontibus Vellei Paterculi. In stud. Berolin. class. Philol. Vol. XV, 1894. p. 30—36.

Dion. XLIV, 35. Μαθὼν ὁ δῆμος ὅτι [Caesar] καταλέλοιπε καὶ προςέτι καὶ δωρεὰς ἄλλοις τέ τινας καὶ τῇ πόλει τούς τε κήπους τοὺς παρὰ τὸν Τίβεριν καὶ δραχμάς, ὡς μὲν ὁ Ὀκταούιος γράφει, XXX (id est CXX sestert.) ὡς δὲ ἕτεροι LXXV (id est CCC sestert.).[1]) Qua in re Dionem errasse pro certo affirmare possumus, cum Augustus ipse in Mon. Ancyr. cap. XV Nicolausque cap. XVII, quem Augusto usum esse paullo infra videbimus, LXXV[2]) drachmas ab Octaviano ex testamento patris viritim distributas esse tradant. Quid nunc? Num Dio putandus est exemplari Augusti corrupto usus esse, in quo pro numero CCC scriptus erat num. CXX?

Quibus praemonitis tandem ad Nicolaum redeamus. Qui cum Augusti gratia libellum de vita huius componeret, idem ei spectandum erat quod imperatori, scilicet ut quae ab illo minus honeste facta erant aut plane omitteret aut immutaret aut causis speciosis ornaret. Quod cum ante eum iam Augustus ipse habuisset[3]) curae, paene insanus Nicolaus fuisset, si hunc neglexisset auctorem. Ne longus sim, color omnis capitum I—XVIII id evincit, quod Gutschmidius[4]) statuit, Damascenum Augusti commentariis usum esse.

---

[1]) Ex eo Zonar. 493. R.

[2]) Eundem numerum habemus apud Suet. Caes. 83. Plut. Ant. 16. Brut. 20. App. II, 143. cfr. Mommsen Mon. Ancyr. p. 38. Drumann. I, p. 101. Bergkius, qui existimat (Aug. Ind. p. 53) tradidisse revera Augustum in commentariis suis, Caesarem XXX (vel, ut putat, L) denarios legasse, in indice rerum, LXXV. den, qui dissensus ita reconciliandus sit, ut Octavianum de suo congiarium illud ampliasse statuatur, mihi non persuasit, cum imperator largitionis suae in indice mentionem facere non neglexisset, si adiecisset XXXXV (vel XXV) den.

[3]) Imperatorem fusius de pueritia sua narrasse conicitur ex frg. 5 apud Peterum, frg. hist. Rom. p. 253 sq. Cum Augustus Caesar ludos funebres patri celebraret, die medio stella apparuit: Hoc etiam Augustus in libro secundo de memoria vitae suae complexus est. Quae cum ita sint, Weichertus p. 203 aliqua cum probabilitate primum librum res usque ad Caesarem mortuum complexum esse statuit.

[4]) In script. minor. V, p. 542.

Tamen, ne temeritatis arguamur, singula percenseamus. Atque primum Gutschmidium verum vidisse eo probatur, quod saepissime Nicolaus cum eis scriptoribus concinit quos libris imperatoris usos esse inter omnes constat, cfr.

Suet. Aug. 2.	Vell. II, 59.	Nicol. 2.
Ipse Augustus nihil amplius quam equestri familia ortum se scribit vetere ac locuplete, et in qua primus senator pater suus fuerit . . .	Fuit C. Octavius, ut non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia, gravis, sanctus, innocens, dives.	*πατὴρ μὲν οὖν ἦν αὐτῷ Γάϊος Ὀκταούιος, ἀνὴρ τῶν ἐκ τῆς συγκλήτου. Οἱ δ' αὐτοῦ πρόγονοι κατά τε πλοῦτον καὶ ἐπιείκειαν ὀνομαστότατοι γενόμενοι . . . .*

Suet. Aug. 8.	Nicol. 8.
(Octavius) militaribus donis donatus est, quamquam expers belli (sc. Africani) propter aetatem.	*(Καῖσαρ) Κόσμοις αὐτὸν (Ὀκταούιον) στρατηγικοῖς ἀσκήσας, ὡς ἂν αὐτοῦ σύσκηνον ἐν πολέμῳ γεγονότα . . .*

Deinde quae Nicolai capp. X et XI de Octavio avunculum in Hispanias subsecuto legimus, eadem contracta Suetonius Aug. VIII et Velleius II, 59,3 narrant. cfr. Sueton. Profectum mox avunculum in Hispanias adversus Cn. Pompei liberos, vixdum firmus a gravi valetudine, per infestas hostibus vias paucissimis comitibus naufragio etiam facto subsecutus magnopere demeruit. approbata cito etiam morum indole super itineris industriam . . .

Vell. II, 59,3, natumque annos XVII Hispaniensis militiae adsecutum se postea comitem habuit, numquam aut alio usum hospitio, quam suo, aut alio vectum vehiculo (cfr. Nicol. 11. οὐδαμῇ μεθίει ὁμοδίαιτόν τε εἶχεν).

Summus denique consensus inter Nicolai cap. 16—18 Appianique III, 9—11, quem hoc loco Augusti vestigia secutum esse constat[1]), intercedit. Primum enim apud utrumque de rebus Romae gestis nihil nisi Caesarem interfectum esse Octaviano nuntiatur; cfr.

---

[1]) cfr. Soltauium, l. c. p. 598. Weichertum: Imperatoris Caesaris Augusti rell. p. 204. Hinzium: Zur Beurteilung Appians & Plutarchs p. 15.

App. III, 9.	Nicol. 16.
ἀγγέλλεται ὁ Καῖσαρ ἀνῃρημένος ἐν τῷ βουλευτηρίῳ πρὸς τῶν φιλτάτων καὶ παρ' αὐτῷ δυναμένων τότε μάλιστα . . .	*. . . ὡς Καῖσαρ μὲν ἐν τῇ συγκλήτῳ ἀποθάνοι ὑπὸ τῶν περὶ Κάσσιον καὶ Βροῦτον . . .*[1])

Cetera obscura, velut: ἢ καὶ τὸ πλῆθος αὐτοῖς συνήδοιτο (App. III, 9), ἀδήλου ἔτι οὔσης τῆς τῶν πολλῶν διανοίας (Nicol. 16) . . . Tum et hic et ille tradunt Octavium spreto consilio confugiendi ad legiones Macedonicas ultro auxilium offerentes parentum auctoritatem secutum esse, qui ut Romam contenderet hortati essent, cfr.

App. 10.	Nicol. 16.
ἡ δὲ μήτηρ καὶ Φίλιππος ἔγραφον . . πρὸς σφᾶς ἐς Ῥώμην ἐπείγεσθαι . .	*ἠξίου δὲ τὸν παῖδα ἐπανελθεῖν ὡς αὐτήν . . .*

Praeterea Nicolaus Appianusque similiter narrant Octavium mare Jonium transgressum Lupiis constitisse, quo in oppido de iis quae Romae gesta essent quaeque testamento Caesaris continerentur, certior esset factus. Hoc loco inter Nicolaum et Appianum Velleiumque eadem ratio intercedit, quae in bello Hispaniensi enarrando inter Nicolaum et Suetonium, cum ille singula verbose persecutus sit, hi nihil nisi summam rerum tradiderint. cfr. Vell. II, 59, omnem ordinem et necis et testamenti Brundisii comperit, App. III, 11. ὡς δέ οἱ τά τε ἀκριβέστερα περὶ τοῦ φόνου καὶ τοῦ δημοσίου πάθους τῶν τε διαθηκῶν καὶ τῶν ἐψηφισμένων ἦλθε τὰ ἀντίγραφα . . .

Similiter iudicandum est de cap. 18, quo Nicolaus fusius idem narrat, quod Suetonius cap. 8 breviter, scilicet

[1]) Discrepantiae ei, quae hoc loco inter Appianum et Nicolaum intercedit, equidem nullam vim tribuerim. cfr.

App. III, 9.	Nicol. 16.
ἕκτον δ' ἔχοντι μῆνα ἐν τῇ Ἀπολλωνίᾳ ἀγγέλλεται περὶ ἑσπέραν etc.	*τετάρτῳ δὲ μηνὶ ἧκεν ἐκ τῆς πατρίδος . . . ἀπελεύθερος . . .*

Igitur Appiano auctore Octavius Apolloniam mense Octobri advenit, Nicolao mense Decembri. Quoniam Decembri traiectus maris Jonii periculosissimus est, Appianum verum tradidisse, Nicolaum errasse existimo.

quo animo Octavii parentes fuerint; qua de re haec quoque, si placet, conferas:

Nicol. 18.	Vell. II, 60.
Φίλιππος δεόμενος μὴ προςελθεῖν τῇ Καίσαρος κληρονομίᾳ, φυλάξασθαι δὲ καὶ αὐτὸ τοὔνομα, δι' ἃ πάθοι κεῖνος.	Non placebat Atiae matri Philippoque vitrico adiri nomen invidiosae fortunae Caesaris . . .

Denique ne hunc quidem consensum neglegas:

App. III, 11.	Nicol. 18.
οἱ μὲν ἀποσκευὰς ἢ χρήματα φέροντες ἐκ[1]) *τῆς Μακεδονίας, οἱ δὲ ἕτερα χρήματα καὶ φόρους ἐξ ἐθνῶν ἄλλων ἐς τὸ Βρεντέσιον.*	*ἔπεμψε δὲ παραχρῆμα καὶ ἐπὶ τὰς ἐν Ἀσίᾳ παρασκευὰς καὶ τὰ χρήματα, ἃ προύπεμψε Καῖσαρ πρότερον. Καὶ ἐπειδὴ ἐκομίσθη καὶ σὺν αὐτοῖς ὁ ἐτήσιος φόρος τῶν ἐν Ἀσίᾳ ἐθνῶν . .*

Quae cum ita sint, quod coniecimus, scilicet commentariis Augusti Nicolaum esse usum iam est probatum. Nunc quaeritur, num alii quoque loci ex iisdem fluxerint. Atque primum etiam haec ex imperatoris libris hausta esse verisimile mihi videtur:

I. Cap. XIV, quo Pseudomarium in monte Janiculo Octavio obviam se obtulisse legimus. Quam narratiunculam Augustum commentariis suis inseruisse probabiliter statui potest, cum ea non solum sollertia iuvenis probaretur, sed etiam humanitas eius opponeretur immanitati Antonii, ut qui paucis post mensibus Pseudomarium virum a populo amatissimum causa indicta supplicio dedisset. Atqui si Augustus colloquium illud commentariis inseruerat, quis opinetur Nicolaum neglecto auctore eo, quem ante et post, ut probavimus, exscripserat, quoque nemo ei certior erat, Anonymo quodam usum esse.

II. Similiter iudicandum esse puto de cap. VII, quo traditur, ab Octavio ipso, cum Caesar graviter in eos animadverteret, quos bello Africano ceperat, fratrem Agrippae amici liberatum esse. Quam quidem narrationem, quam-

[1]) In codicibus falso, ut mihi quidem videtur, exstat: *ἐς τὴν Μακεδονίαν*, quae verba mutarim in haec: *ἐκ τῆς Μακεδονίας* . . .

quam in maius aucta est, cum apud Velleium II. 55, 2, legamus: „Nec dissimilis ibi (bello Africano confecto) adversus victos, quae in priores, clementia Caesasis erat,“ tamen non omnibus in partibus ficticiam esse inde colliges, quod hac in re Augustus, ut artissimis amicitiae vinculis Agrippae coniunctus, nimis impudenter ementiri non potuit. Neque ullus dubito, quin narratiunculam, de qua agitur, imperator inseruerit commentariis, quippe qui praeter Maecenatem Agrippae dedicati essent.

Cum hoc exemplo Octavianae erga amicum fidei quoniam arte coniuncta est illa narratiuncula, quam cap. III legimus, scilicet ab Octavio una cum quinque famulis in avunculi navem conscendere iusso tres sodales insuper adductos esse, hoc quoque caput, ni fallor, ex commentariis Augusti fluxit.

Idem iudicarim de capit. II extr., quo loco tutores Octavii pecuniam avertisse legimus. Nam cum imperatoris plurimum interesset, se a crimine proscripti Torani tutoris sui purgare, illam quoque de tutoribus fraudulentis fabellam [1]) iam in Augusti commentariis exstitisse et ex illis in Nicolai librum fluxisse verisimile est.

III. Nec minus ex Augusti commentariis cap. XII. depromptum est, quo capite Octavius Carthagine Saguntinos, qui ad ipsum confugissent, apud Caesarem defendisse criminibusque liberasse narratur. Quae quidem res, etsi non totam eam commenticiam dixerim, tamen prorsus ridicule apud Nicolaum in maius aucta est. Neque enim quicquam Saguntini stultius agere potuissent, quam si non Caesarem ipsum, sed puerum adissent. Unde laudator scire potuit, quo animo Augustus partes sibi attributas accepturus esset?

IV. Cum Nicolaus cap. 19 sqq. accurate de nece Caesaris rebusque, quae et paullo ante et paullo post eam Romae acciderant, narrarit, mirum est, eum multis verbis

[1]) cfr. Drumann. IV, p. 248.

tradere, quales nuntii de rebus in urbe post dictatorem interfectum gestis Octaviano Brundisium allati sint. Quae res cum ita se habeat, coniectura se offert, Nicolaum hoc loco eo fonte usum esse, qui, cum ipse non accurate ordineve tradidisset, quae paullo post Caesarem necatum Romae acciderant, nuntium quendam Octavio ea fecerat narrantem. Atqui Augustum verisimile est ita rem instituisse, quoniam videbimus, Nicolaum, cum capp. 19—27 ex aliis fontibus hausisset, tum demum ad commentarios imperatoris exscribendos redisse, cum ad res Augusti enarrandas denuo accessisset. Ergo cap. 17, pag. 106 a versu 4 usque ad vers. 30 ex Augusti libris fluxisse statuerim.

Restant nonnulla leviora ab uno Nicolao memoriae prodita, velut, Octavium, priusquam in domum Philippi commigrasset, ab avia educatum esse (cap. III), bello civili exorto in villam paternam eum subductum esse (cap. IV), in locum L. Domitii Ahenobarbi eum collegio pontificum adscriptum esse (c. V), feriis Latinis praefectum eum urbi fuisse (c. V), morbo eum implicatum esse, cum vires nimis in curatione theatri Graeci intendisset (c. IX), ex bello Hispaniensi reversum eum πλησίον τῆς Φιλίππου οἰκίας degisse (c. XIII), quomodo Apolloniatae suum erga Octavium amorem demonstrarint. (c. XVI, XVII), Atiam et Philippum Octavio Brundisii commoranti per epistulas exposuisse, quid de summa rerum sentirent (c. XVIII).

Quarum rerum cum nemo certior fuerit auctor quam Augustus, eumque eas, ut ad se ipsum quam maxime spectantes, commentariis suis inseruisse verisimile sit, videtur Nicolaus eas ex imperatoris libris hausisse.

Nectamen capp. 1—18 tota ex Augusti libris fluxerunt, sed loquacitate qua erat Nicolaus multa ex suo ingenio addidit, eaque, ex quibus nihil aliud colligi potest, nisi forte Damascenum ita in Augusti laudibus nimium fuisse, ut Velleium in Tiberii. Velut qui cap. III a versu 22, cap. IV a. v. 21, cap. V u. a. verba: ἅτε εἰς τοὔμπροσθεν τῆς ἡλικίας προιών, cap. 8, a. v. 20, cap. 13 usque ad verba:

ἐν τῷ βίῳ παντί, cap. 15 a. v. 25 sola perspexerit, is non miraretur, si toti Nicolai operi non βίος Καίσαρος τοῦ νέου titulus inscriptus esset, sed Καισαροπαιδεία. Talium nugarum partem ex Augusti commentariis petitam esse, quamquam non est, quod negemus, tamen multo maiorem partem Nicolaus, ut rhetor Graecus, ex suo addidit ingenio. Quae pars ut ab illa secernatur, hodie fieri iam non potest, nisi quod Nicolaum ex suis ipsius copiis adiecisse statuimus haec: cap. V, διὰ τὴν προςοῦσαν αὐτῷ ὥραν. cap. 8. καὶ ὁ μὲν οὐκ ὀλίγα ζώπυρα καὶ φιλανθρωπίας ἅμα καὶ φρονήσεως φυσικῆς ἀπεδείκνυτο, c. 13. αἰδῶ δὲ . . . διαφανέστατα καὶ ἐν ἔργοις ἐδήλου καὶ ἐν βίῳ παντί. cap. 15. θαυμαστὸν δέ τι κ'ἄλλο συνῄδεσαν αὐτῷ οἱ φίλοι . . . similiaque . . .

Nectamen solum nimiis laudibus imperatorem extulit, sed etiam res ipsas in maiorem Augusti gloriam immutavit. Velut cum apud Augustum[1]) legisset ab eo ipso duodecimum annum agente aviam Juliam pro contione laudatam esse, recordatus est eundem honorem a Tiberio novem annos nato patri defuncto habitum esse[2]). Tum dubius Noster haerebat. Neque enim viro iustissimo placebat filium prudentiorem esse quam patrem. Sed cum alia ex parte timeret, ne quis se collatis Augusti ipsius commentariis refelleret, nihil aliud memoriae tradidit quam Octavium novem annos natum pro contione locutum et avia mortua a matre vitricoque educatum esse[3]). Quibus ex verbis quaelibet sententia elici potuit, nec defuerunt, qui eam, quam Nicolaus voluit, elicerent.

Aliud quoque mendacium ab ipso Nicolao traxisse originem videtur. Nam quamquam ab Octavio a. d. XV. Kal. Nov. anni DCCVI. id est annos amplius XV. nato togam virilem sumptam esse constat[4]), tamen apud Nico-

---

[1]) ex quo Quint. XII, 6,1. Suet. Aug. c. VIII.
[2]) cfr. Mueller, frg. h. Gr. III, p. 428. cfr. Suet. Tib. c. VI.
[3]) cfr. cap. III init.
[4]) cfr. Weichert: Imperatoris Caesaris Augusti scriptorum reliquiae p. 10. Rectissime igitur Sueton. Aug. cap. VIII haec dicit: Duodecimum annum agens Juliam defunctam pro contione laudavit.

laum c. 4 haec legimus: κατέβαινε δὲ εἰς τὴν ἀγορὰν περὶ ἔτη μάλιστα γεγονὼς τεσσαρεςκαίδεκα, ὥστε ἀποθέσθαι μὲν αὐτὸν ἤδη τὴν περιπόρφυραν ἐσθῆτα. Num Nicolaus recordatus est Tiberium a. d. XVI. Kal. Dec. anni DCCXII natum a. d. VIII. Kal. Maias anni DCCXXVII[1]), id est adulescentulum quattuordecim annorum togam virilem sumpsisse?

Quoniam de fide historica Nicolai disserere coepimus, pauca addere liceat. Atque hoc quidem constat Herodis amici gratia saepius eum a vero aberrasse, illud tamen usque ad haec tempora obscurum est, quae ratio inter eum Caesaremque intercesserit. Buergerus[2]) cum recte in illius libello nonnullos deprehendisset locos, quibus dictator aut extolleretur laudibus nimiis aut artificiis modo his modo illis excusaretur, opinatus est Nicolaum ipsum fuisse Caesarianum. Qua in re illum errasse iure optimo Schmidtius inde collegit, quod Caesar apud Damascenum non ita splendidam personam ageret. Tamen ne hic quidem vir doctus verum eruere potuit, cum id, quod Buergerus iam rectissime perspexerat, concedere nollet, in Nicolai opusculo mendacia exstare in maiorem Caesaris gloriam ficta[3]). Qua ex ipsa inter viros doctos discrepantia colligi postest Damascenum non fuisse Caesarianum. Nam Nicolaus adeo in laudando modum excedere solet, ut quivis quid velit perspiciat, atque prius eum pigmenta deficiunt quam pingendi voluptas. Sed ne putes me his ratiunculis rem absoluturum esse, iam graviora promam. Cap. XIX. Nicolaus exponit, quibus causis coniuratores ad parricidium adducti sint, — sed omnis abest ira et omne studium. Neque ullis conviciis nece narrata[4]) interfectores consectatur. Quin etiam Brutum cap. XX οὐδενὸς ἧττον παρὰ

Quadriennio post virili toga sumpta . . . quae verba ex Augusti ipsius commentariis fluxisse verisimillimum est.

[1]) cfr. Marquardt: Das Privatleben der Römer p. 129.
[2]) l. c. pagg. 14 sqq. 17 sqq. etc.
[3]) l. c. pagg. 676/677.
[4]) cap. 24.

Ῥωμαίοις τότε ἐπαινούμενον, cap. XXVI, σωφροσύνῃ βίου διὰ παντὸς τιμώμενον appellat. Num Caesarianum ita scripsisse putas?

Ad eundem finem alia quoque via ducimur. Nicolaus enim cap. XXI. Lupercalibus diadema ab Antonia capiti Caesaris impositum esse narrat. Quod factum alios aegre tulisse, alios ut Caesari gratificarentur comprobasse, alios clandestinae eum cum Antonio collusionis arguisse, alios dictatorem regem fieri voluisse; denique Caesaris iussu diadema Jovi Capitolino impositum esse . . . Apertam vides Caesaris cladem! Nectamen apud eundem Nicolaum diversae de hac re famae vestigia desunt: populum clamasse χαῖρε βασιλεῦ, Antoniumque dictatori gratulatum adstantibus quibusdam diadema tradidisse, qui id statuae Caesaris imponerent . . . Cladem vides victoria, quoad id fieri posset, mutatam esse! Quae commutatio si a Nicolao ipso profecta esset, num vestigia ulla cladis reliquisset?

Simile quiddam in capite XX deprehendimus, quo cap. populum clamasse Nicolaus dicit, caput Caesaris diademate ornandum esse, quoniam ἡ Τύχη statuam eius redimisset. Quam Τύχην ab eo inductam esse numquam concedam, qui cap. XX. med. haec professus erat: ὑπόπτως δὲ πάνυ πρὸς αὐτὸ (statuas diademate redimitas) ἔχουσι Ῥωμαῖοι δουλείας οἰόμενοι εἶναι σύμβολον . . . Ne longus sim, mendacia pro Caesare ficta, quae procul dubio in Nicolai libello exstant, ab hoc ipso originem traxisse [1]) incredibile est.

Quoniam de Augusti commentariis a Nicolao adhibitis disseruimus, ad ceteros fontes eruendos nos accingamus. Quae quaestio a capite XIX proficiscatur, quo quibus causis coniuratores commoti sint, ut Caesarem interficerent, expositum est. Cuius capitis si magnam partem Nicolaus induxisset, quia nonnulla bis tradit, aegre non ferremus. Cfr.:

[1]) quae est Ed. Schwartzii opinio, cfr. Herm. XXXIII p. 212.

Dind. p. 110 v. 32.	Dind. p. 111 v. 12.
οἵ τε φίλοι πρότερον ὄντες τῷ Καίσαρι οὐκέθ' ὁμοίως εὖνοι ἦσαν εἰς ἴσον ἑαυτοῖς ὁρῶντες τιμωμένους τοὺς πάλαι μὲν πολεμίους, ὑπ' αὐτοῦ δὲ σωθέντας . . .	*καὶ μὲν δὴ κἀκείνων τὰ ἤθη αὐτῷ διάφορα ἤδη ἦν, τῶν τε συστρατευομένων πάλαι ἐν ἰδιωτῶν μοίρᾳ τῶν τε ἡγεμόνων καὶ οὐ τιμῆς μεταποιούντων, τὸ μὲν ὅτι συγκατελέλεκτο εἰς τὸ ἀρχαῖον στρατιωτικὸν τὸ πολέμῳ ἁλὸν καὶ τοὺς ἴσους μισθοὺς ἔφερεν. ἤχθοντο οὖν οἱ φίλοι ἐν ἴσῳ τιμώμενοι τοῖς ὑπ' αὐτῶν αἰχμαλώτοις γενομένοις, ἔστε δ' ὑφ' ὧν καὶ παρωθούμενοι τιμῆς . . .*
p. 111 v. 11.	p. 111 v. 20.
τὸ ἐν χάριτος μέρει λαβεῖν . . σφόδρα ἐν τῇ διανοίᾳ ἐνὸν ἐλύπει.	*πολλοῖς δὲ καὶ τὸ εὖ πάσχειν ὑπ' αὐτῶν διαφερόντως ἀνιαρὸν ἦν.*
p. 111 v. 30.	p. 112 v. 1.
ἑκάστων προφάσεις ἰδίας εἰς τὸ ἔργον ὑποτεινομένων καὶ ἀπὸ τῶν οἰκείων ἐγκλημάτων ἐμπιστευόντων καὶ ταῖς παρὰ τῶν ἄλλων κατηγορίαις.	*ἕκαστός τε ἕκαστον συνιστάμενοι παρώξυνον καὶ τὸ εἰς ἀλλήλους βέβαιον ἐκ τῶν ἰδίᾳ ὑπόντων πρὸς αὐτὸν ἐγκλημάτων παρείχοντο . . .*

Iam manifestum esse existimo caput XIX ex duobus fontibus atque illis quidem, inter quos coniunctio quaedam exstiterit, haustum esse. Iam neminem non videre puto pessime miserrimeque historicum ex panniculis modo hinc modo illinc corrasis sua conglutinasse. Sed cum ex locis supra exscriptis discerni nequeat, quales et qui duo illi fontes fuerint, ad capita XXIII/XXIV nos convertamus, in quibus idem illud mirum deprehenditur, quod in capite XIX. Nicolaus enim bis Caesarem a Bruto admonitum esse memoriae prodit, ut senatui interesset, primum in dictatoris domo (cap. XXIII), deinde ante curiae valvas (cap. XXIV). Atqui Asinius Pollio semel Brutum induxerat, quod ex Plutarchi, Appiani, Dionis consensione evincitur[1]). Quae res mira non esset, nisi inter rivulorum Asinianorum narrationes atque Nicolai non solum caput XXIII — in quo domi Caesarem a Bruto admonitum esse ne patres re infecta dimitteret Damascenus narrat — sed etiam caput XXIV — in quo ante curiae valvas Brutum

[1]) cfr. Plut. Caes. 64. App. II, 115. Dio 44, 18.

a dictatore postulasse traditur, ut senatui interesset — gravissimae similitudines intercederent. Cfr.

I.

Nicol. XXIII.	Plut. Caes. LXIV.	Dio. XLIV, 18.
ἐν δὲ τοῖς μάλιστα φίλοις τότε νομιζόμενος (sc. Brutus).	πιστευόμενος μὲν ὑπὸ Καίσαρος ὥστε καὶ δεύτερος ὑπ᾽ αὐτοῦ κληρονόμος γεγράφθαι . . .	ὡς καὶ πάνυ φίλος αὐτῷ δοκῶν εἶναι . . .

Nicol. XXIII.	Plut. Caes. LXIV.
ἀνδρῶν ματαίων κληδόσι προσχὼν ὑβριεῖς τήν σε τιμήσασαν σύγκλητον, ἣν αὐτὸς συνεκάλεσας, οὐκ ἐξιών . . .	τούς τε μάντεις ἐχλεύαζε καὶ καθήπτετο Καίσαρος ὡς αἰτίας ἑαυτῷ κτωμένου πρὸς τὴν σύγκλητον ἐντρυφᾶσθαι δοκοῦσαν . . . ἥκειν μὲν γὰρ αὐτὴν κελεύσαντος ἐκείνου.

II.

Nicol. XXIV.	Plut. Caes. LXIV.
ὁμοῦ τῆς δεξιᾶς λαβόμενος ἦγεν αὐτόν . . .	ταῦθ᾽ ἅμα λέγων ὁ Βροῦτος ἦγε τῆς χειρὸς λαβόμενος τὸν Καίσαρα . . .

Quoniam Nicolaum si uno fonte Asiniano usus esset unam dolosam Bruti hortationem illic narratam in duas distraxisse incredibile est, duos rivulos Asinianos ab eo exhaustos esse apparet. Nam cum narratio alterius ab alterius narratione differre ei videretur, utramque in opus suum recipere constituit. Simile quiddam Livio multis in locis accidisse quis est quin sciat. Etiam id memoratu dignum est, priore loco consensum non deprehendi nisi sententiarum, posteriore Nicolaum verbotenus cum Plutarcho, qui hic Anonymo Graeco usus est, congruere. Neque aliter se res in capite XXVI, 2 extr. habet.

Nik. I.	Nik. II.	Plut. Brut. XVIII.
σιγὴ δὲ τότε πολλὴ ἦν καραδοκούντων πάντων ὅτι πρῶτον τολμηθείη . .	κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν τοῦ δήμου τὸ μέλλον προςδεχομένου . . .	καὶ τὸ μέλλον ἐδέχοντο κόσμῳ καὶ σιωπῇ . . .

Hoc quoque loco Plutarchus et Nicolaus I tantum in sententiis, Plutarchus et Nicolaus II etiam in verbis Graecis concinunt.

Quorum rivulorum Asinianorum a Nicolao adhibitorum sitne alter Livius, primum percenseamus. Damasceni libellum Augusto vivo in lucem prolatum esse, pagg. 17—19 probavimus. Atqui Livius suam de nece Caesaris narrationem paullo ante imperatoris mortem edidit[1]. Ergo paene incredibile est Patavinum a Damasceno adhibitum esse. Huc accedit, quod Nicolaus de dictatore interfecto iam in historiis rettulerat. Nonne verisimile est eum se ipsum expilasse narrationemque coniurationis[2] ex historiis in libellum, qui Βίος Καίσαρος inscribitur, transtulisse? Atqui historiarum illa de qua agitur pars ante Herodem mortuum (anno DCCXLVIII) composita est[3]. Quibus ex rebus colligendum duco Livio Nicolaum omnino non esse usum.

Atque nunc iterum quaerimus, qui illi Nicolai fontes fuerint. Quorum alterum, quoniam Nicolaum saepius verbotenus cum Anonymo Graeco concinere vidimus videbimusque, hunc Anonymum fuisse verisimillimum est, alterum Asinium ipsum fuisse cum nihil sit, quod falsum existimem, Kornemannum[4]) verum vidisse puto, cum hunc ab illo adhibitum esse statueret.

Quibus rebus cognitis quaerendum est, num praeter Anonymum Graecum et Asinium Pollionem Nicolaus alium auctorem inspexerit. Atque putaverit quis ab eo, cuius vires ne ad duos quidem fontes confundendos suffecisse

[1]) Ex codice periocharum Nazariensi discimns libris Livii CIX—CXVI. titulum librorum VIII. belli civilis inscriptum fuisse. Quos seorsum emissos esse apparet. Atqui in eodem codice haec verba libro CXXI praescripta legimus: qui editus post excessum Augusti dicitur . . . quibus verbis, nisi fallor, significatur eam editionem, quae ab libro CXXI coeperit, primam post Augustum mortuum in medium prolatam esse. Ergo libri quoque CXVII—CXX. seorsum videntur editi esse. Quae cum ita sint, Livius, quem ternos aut quaternos libros quotannis exarasse constat, libros belli civilis, in quibus de Caesare interfecto narratum erat, circiter anno DCCLXIIII emisisse putandus est.

[2]) quam si in opusculo de vita Augusti composito ne verbo quidem attigisset, nemo eum incusaret.

[3]) cfr. Jos. Ant. XVI, 7,1.

[4]) l. c. p. 586.

vidimus, plures non esse adhibitos. Sed restant residua quaedam neque ad Asinium neque ad Anonymum referenda. Quae omnia uni fonti eum debuisse cum vel per se verisimile est — aliter enim amplius tribus auctoribus Nicolaus usus esset — tum eo probatur, quod unius corporis membra disiecta ea esse paullo infra demonstrabimus. Quo ex fonte tertio prima ea narratio fluxit, quam cap. XXI de Licinio, Cassio, Casca legimus. Nam cum Appianus[1]), Plutarchus[2]), Dio[3]), id est Asinius et Anonymus Graecus, a solo Antonio Caesari diadema impositum esse memoriae tradant, Nicolaus regium insigne primum a Licinio ante Caesaris pedes depositum narrat, deinde a Cassio in genua sublatum esse, adfuisse autem etiam Cascam. Quibus rebus expositis Damascenus quoque Antonium inducit. Hanc Nicolai narrationem totam ex mendaciis constare apparet. Neque obscurum est, quo fraus spectet. Percrebruerat enim ea opinio haud inscio Caesari diadema ab Antonio impositum esse. Quae fama tollenda eaque substituenda erat adversarios rem esse molitos[4]). Simul Caesarianus ille, a quo hoc mendacium originem traxit, occasionem nactus erat, percussores simulatae erga Caesarem amicitiae arguendi. Imprimisque is Cassium petisse videtur: nam ut Licinii Cascaeque nomina sola affert, ita illum appellat: ἕνα τῶν ἐπιβούλων δῆθεν εὔνουν ὄντα, ἵνα καὶ λανθάνειν μᾶλλον δύναιτο. Tertius igitur Nicolai auctor fuit Caesarianus, qui Caesaris gratia a vero deflectere non dubitabat quique inter percussores prae ceteris Cassium oderat. Quem ad fontem omnia a verbis πρῶτον Λικίννιος usque ad verba συνῆν δὲ καὶ Πόπλιος Κάσκας referas, et praeterea narrationem de nimia populi laetitia, de gratulationibus ab Antonio Caesari habitis, de diademate statuae Caesaris imposito[5]).

[1]) II, 109.
[2]) Caes. 61.
[3]) XLIV, 11.
[4]) cfr. Buerger. l. c. pag. 16.
[5]) cfr. quae pag. 30. disputavi.

Ex eodem caput XX extremum fluxit[1]), et capitis XXII initium, quem locum a Caesariano originem traxisse inde pro certo affirmari potest, quod eo Epidium et Caesetium[2]) a Caesare ipso in patriam restitutos esse traditur, quam restitutionem post dictatorem mortuum factam esse Buergerus[3]) rectissime iudicavit. Idem de his capitis XX verbis statuendum est: Παντοδαπαὶ δὲ καὶ ἐν τῷ ὁμίλῳ λογοποιίαι διεφέροντο ἄλλων ἄλλα διεξιόντων. Οἱ μὲν γὰρ ἔφασκον βασίλειον αὐτῷ ἐγνωκέναι συμπάσης γῆς καὶ θαλάττης Αἴγυπτον ἀποδεικνύναι, ἔνθα βασιλίδα Κλεοπάτραν αὐτοῦ τεκεῖν παῖδα Καισαρίωνα φοιτήσασαν εἰς εὐνήν. ὅπερ αὐτὸς ἤλεγξεν ἐν ταῖς διαθήκαις ψεῦδος ὄν. Οἱ δὲ ἐν Ἰλίῳ τοῦτο ἔφασαν αὐτὸν μέλλειν καθίστασθαι διὰ τὴν παλαιὰν πρὸς τὸ Δαρδανιδῶν γένος συγγένειαν . . . . . Qui locus quoniam et a Caesariano scriptus est neque apud Asinium aut Anonymum videtur exstitisse[4]), ex tertio Nicolai fonte fluxisse putandus est. Ex quo eodem Caesariano Suetonius videtur hausisse, cum unus omnium praeter Damascenum de ea re memoriae prodiderit; cfr. cap. 79: Quin etiam valida fama percrebruit migraturum (sc. Caesarem) Alexandriam vel Ilium translatis simul opibus imperii exhaustaque Italia dilectibus et procuratione urbis amicis permissa . . . [5]).

Neque ad alium fontem haec cap. XXVI verba referenda esse duco, quae neque apud Asinium neque apud Anonymum exstitisse inde verisimile est, quod ea apud Appianum Plutarchum Dionem non leguntur: Παρίστη δὲ αὐτῷ τῶν φίλων οὐδεὶς πολλῶν ὄντων οὔτε σφαττομένῳ οὔτε μετὰ ταῦτα, ὅτι μὴ Σαβῖνος Καλουίσιος καὶ Κηνσωρῖνος. Οὗτοι δ' ἐπιφερομένων τῶν περὶ Βροῦτον καὶ Κάσσιον μικρὸν ἀντιστάντες ἔφυγον διὰ τὸ ἐκείνων πλῆθος, οἱ δὲ ἄλλοι τὸ κατὰ σφᾶς περιέβλεπον . . .

[1]) cfr. quae pag. 30. disputavi.
[2]) qui ob libertatis studium odiumque servitutis republica a Caesare remoti erant.
[3]) l. c. p. 17.
[4]) Apud Appianum certe, Plutarchum, Dionem frustra requiritur.
[5]) Ad eundem Caesarianum fortasse initium cap. XXIII referendum est, qui locus et cum Suet. Caes. c. 80. extr. miro paene modo concinat et frustra requiratur in ceteris rivulis Asinianis.

Qua obiurgatione cum perspicuum sit Antonium esse petitum, quippe qui prae ceteris ut consul amicusque Caesari adesse debuerit, apparet Caesarianum Nicolai auctorem non fuisse Antonio amicum. Atque si quis putaverit eum post Caesaris mortem Octaviani partibus interfuisse, me quidem adversarium non experietur.

Cui tertio fonti quos alios locos Damascenus debuerit, infra videbimus; nunc quis ille fuerit quaeramus. Ac ne longus sim, iam videas, quam similis sit — Oppio.

Vidimus Caesarianum illum saepius a vero in maiorem Caesaris gloriam deflexisse, atqui apud Plut. Pomp. X haec legimus: Ἀλλ' Ὀππίῳ μὲν, ὅταν περὶ τῶν Καίσαρος πολεμίων ἢ φίλων διαλέγηται, σφόδρα δεῖ πιστεύειν μετὰ εὐλαβείας[1]). Vidimus Caesariano prae ceteris Cassium odio fuisse: atqui haec Charisius I, 147 dicit: Vulgu: ab hoc vulgu Oppius de vita Cassii, quem libellum ad infamiam Cassii editum esse quivis perspicit. Vidimus Caesarianum secum reputasse, utrum Caesarion filius Caesaris esset necne; atqui apud Sueton. Caes. c. 52 haec legimus: „. . . C. Oppius . . . librum edidit, non esse Caesaris filium, quem Cleopatra dicat"[2]). Vidimus Caesariano Suetonium usum esse; atqui Oppii fragmenta apud Suetonium habemus Caes. 52. 53. Coniecimus Caesarianum post Caesaris mortem fortasse Octaviani partibus interfuisse: atqui Cicero Attico scribit XVI, 15,3 ab Oppio se admonitum esse, ut adulescentem (sc. Octavianum) totamque causam complecteretur. Ergo Oppium a Nicolao adhibitum esse haud abnuerim.

Nunc quoniam capitibus XIX—XXVII Nicolaum Asinio, Anonymo Graeco, Oppio usum esse in universum monuimus, ad singula accedamus primumque quibus locis scriptorem Graecum adhibuerit quaeramus. Ex quo, ut

[1]) Contra Balbi fides magni aestimatur, cfr. Suet. Caes. 81. Cuius rei, ne quis fabulosam aut commenticiam putet, auctor est Cornelius Balbus . . .

[2]) cfr. Suet. Caes. 52.

caput XIX iam pagg. 30. 31. excussum hoc loco omittam, maior pars cap. XXI (de Lupercalibus) cap. XXIV (de nece dictatoris) capp. XXV—XXVII (de rebus post Caesarem mortuum gestis) videtur fluxisse.

I. de Lupercalibus.

Caput XXI paene mirifice saepiusque verbotenus cum App. II, 109 Plut. Caes. 61 concinit; cfr.

App. II, 109.	Nicol. 21.	Plut. Caes. 61.
θεώμενον αὐτὸν . . . . . ἐπὶ θρόνου χρυσέου πρὸ τῶν ἐμβόλων	καθημένῳ δὲ Καίσαρι ἐπὶ τῶν ἐμβόλων λεγομένων ἐπὶ χρυσοῦ θρόνου . .	ἐθεᾶτο καθήμενος ἐπὶ τῶν ἐμβόλων ἐπὶ δίφρου χρυσοῦ . .

Apparet paene omnia verba a Nicolao ex Anonymo sumpta esse.

Nicol. XXI.	Plut. Caes. LXI.
ἐκέλευσεν εἰς τὸ τοῦ Καπιτωλίου Διὸς ἀποφέρειν αὐτὸ . . .	τὸν στέφανον εἰς τὸ Καπιτώλιον ἀπενεχθῆναι κελεύσας . . .

App. II, 109.	Nicol. XXI.
Ἀντώνιος διαθέων τότε γυμνὸς ἀληλιμμένος.	πομπεύουσι γυμνοὶ ἀληλιμμένοι.

Quae cum ita sint, nullus dubito quin Graecum Anonymum Nicolaus cap. XXI adhibuerit, quocum Oppium ab eo coniunctum esse pag. 33. demonstravimus.

II. De dictatoris nece.

Cap. XXIV Anonymo Graeco, non Asinio ipso, Nicolaum usum esse inde colligitur, quod cum Appiano Plutarchoque saepius ad litteram concinit. Cfr.

Nicol. XXIV.	Plut. Caes. LXVI.
τάττοντες αὐτοὺς οἱ μὲν εἰς πλησίον αὐτοῦ καθέδρας, οἱ δὲ ἐξ ἐναντίας, οἱ δὲ καθόπισθεν . . .	τῶν δὲ περὶ Βροῦτον οἱ μὲν ἐξόπισθεν τὸν δίφρον αὐτοῦ περιέστησαν, οἱ δ'ἀπήντησαν.

Nicol. XXIV.	Plut. Brut. 17.	Plut. Caes. LXVI.
εἰσιόντα δὲ αὐτὸν ὡς εἶδεν ἡ σύγκλητος ὑπανέστη εἰς τιμῆς ἀξίωσιν . .	Καίσαρι δ'εἰσιόντι μὲν ἡ σύγκλητος ὑπεξανέστη . .	εἰσιόντος δὲ Καίσαρος ἡ βουλὴ μὲν ὑπεξανέστη θεραπεύουσα . . .

Nicol. XXIV.	Plut. Caes. LXVI.
εὐθύνων ἐπ' αὐτὴν (sc. κλεῖν) ταραττόμενος δὲ οὐκ ἠδυνήθη . . .	ἐν ἀρχῇ τολμήματος μεγάλου ταραχθείς . . .

Nic. XXIV.	App. II, 117.	Plut. Caes. LXVI.
πίπτει δὲ ὑπὸ πλήθους τραυμάτων πρὸ τοῦ Πομπηίου ἀνδριάντος . . .	καὶ πεσεῖν εὐσχημόνως παρ' ἀνδριάντι Πομπηίου.	τοῦ πολεμίου περισπαίροντος ὑπὸ πλήθους τραυμάτων . . .

Nec tamen Nicolaus cap. XXIV Oppium videtur plane neglexisse. Nam ut in cap. XIX, LXXX viros coniurasse, ita in cap. XXIV, XXXV vulneribus Caesarem confectum esse contendit, quamquam et Asinius[1]) et Anonymus Graecus[1]) LX coniuratos fuisse et XXIII vulneribus dictatorem interfectum esse affirmaverant. Quibus ex historicis Nicolaus cum suos numeros haurire non potuerit, alium auctorem atque, ut equidem puto, Caesarianum adhibuisse existimandus est. Ex eodem fortasse Rubrium a Minucio vulneratum didicit, de qua re apud ceteros scriptores nihil legimus. Nectamen hoc pro certo affirmaverim.

III. De rebus post Caesarem mortuum gestis.

Anonymum a Nicolao cap. 25 adhibitum esse luce est clarius; cfr.

App. II, 119.	Nicol. XXV.	Plut. Caes. 67.	Brut. 16.
τὰ ξίφη μετὰ αἵματος ἔχοντες.	γυμνὰ ἔχοντες τὰ ξίπη.	γυμνὰ τὰ ξίφη δεικνύντες.	τὰ ξίφη γυμνὰ δεικνύντες.

Apparet a Nicolao diligentissime Anonymi Graeci vestigia pressa esse.

App. II, 119.	Nicol. XXV.
ἐπί τε τὴν πάτριον πολιτείαν παρεκάλουν . . .	ὑπὲρ κοινῆς ἐλευθερίας ταῦτα βοῶντες εἰργάσθαι . . .
Plut. Brut. 18.	**Plut. Caes. 67.**
ἐπὶ τὴν ἐλευθερίαν παρεκάλουν . . .	παρακαλοῦντες ἐπὶ τὴν ἐλευθερίαν . .

Plutarchum (in Bruto) timidius quam Appianum Nicolaumve Anonymi verba servasse quivis videt.

Nicol. 25.	Plut. Brut. 18.
διαδρομαὶ δὲ . . . ἦσαν ἔν τε ταῖς ὁδοῖς καὶ κατ' ἀγοράν . . .	Τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἦσαν . . . . . διαδρομαί . . .

---

[1]) cfr. App. II, 117. Plut. Caes. 66. Obseq. 67. Perioch. 116. Suet. Caes. 80. 82.

Ne id quidem silentio praetereundum est, quod nec Plutarchus nec Nicolaus Brutum coniuratis persuasisse, ut unum dictatorem necarent, eo loco narrant, quo res secundum temporum computationem ponenda erat, id est ante mortem Caesaris, sed mediis in rebus post eum interfectum gestis.

Idem, quod de cap. XXV, de cap. XXVI statuendum est; cfr:

App. II, 118.	Nicol. XXVI, 2.
ἐς τὸ φορεῖον ἐνθέμενοι διεκόμισαν οἴκαδε . . .	οἰκέται δὲ δὴ τρεῖς . . ἐνθέμενοι τὸν νεκρὸν εἰς φορεῖον οἴκαδε ἐκόμιζον . .

Nectamen capp. XXV—XXVI ad unum Anonymum referri possunt, quoniam et Asinium et Oppium a Nicolao inspectum esse iam pagg. 32. 35. probavimus. Cui Oppio aliam quoque rem debuisse Damascenus putandus est. Nam quamquam Appianus[1]), Plutarchus[2]), Dio[3]), id est Anonymus et Asinius, eum senatum, quo ἀμνηστία proclamabatur, a. d. XVII. Kal. Apr. falso attribuunt, Nicolaus eundem senatum ei diei videtur assignasse, cui est assignandus[4]), scilicet a. d. XVI. Kal. Apr. Quae recta temporum computatio cum neque ex Asinio neque ex Anonymo Graeco fluxerit, alium auctorem — puta Caesarianum — a Nicolao adhibitum esse apparet.

IV. De fragment. LXXXVI. historiarum.

Fragm. LXXXVI (de solduriis Adiatomi regis Sotiatum), quia mirifice cum Caes. Bell. Gall. III, 22. concinit, Muellerus[5]) ex Caesare haustum esse censuit. Sed quoniam saepius Anonymum Graecum a Nicolao adhibitum esse probavimus,

---

[1]) II, 119—126.

[2]) Caes. 67.

[3]) XLIV, 20—22.

[4]) Quod probabiliter statui potest, quamquam Nicolai de hoc senatu narratio perdita est. Nam ex App. II, 126 senatum matutino tempore fuisse constat. Atqui Damascenus cum cap. 27 ea, quae a. d. XVII. Kal. Apr. facta erant, tradere coepisset, ut de aliis rebus multa, ita nihil de senatoribus in Telluris aedem convocatis rettulit.

[5]) In Fragm. Hist. Gr. III, 418/419.

Anonymus autem suam de bello Gallico narrationem Caesaris commentariis debebat[1]), frg. LXXXVI fortasse non ex Caesare sed ex Anonymo fluxit. Sed malo ἐπέχειν. Neque enim ex hoc uno frg. res ad liquidum perduci potest.

V. De frg. LXXXV historiarum. Hoc quoque fragmentum (de Andromacho) ex Anonymo fluxisse, quamquam certis argumentis firmare non possum, tamen verisimillimum esse mihi videtur.

Nunc ab Anonymo Graeco ad Asinium transeundum est. Cuius vestigia prima, ut caput XIX hic omittamus, in Nicolai de Epidio Caesetioque narratione deprehendimus (cap. XX). De qua ne falso iudicemus, nonnullas fallaces conclusiunculas removere opus est. Cave enim quibusdam similitudinibus, quae inter Appianum (II, 108) et Suetonium (Caes. 79), aliaque ex parte inter Dionem (XLIV, 19) et Nicolaum intercedunt, nimis tribuas. Sane cum Nicolaus et Dio statuae Caesaris in rostris positae regium insigne impositum esse tradant, neque apud Suetonium neque apud Appianum quo loco res facta sit legimus. Illis auctoribus diademate, his corona laurea statua redimita est. Hi noxium in vincula coniectum esse narrant, qua de re apud illos nihil exstat. Quae cum ita sint, existimaverit quis Appianum et Suetonium ex Anonymo Graeco, Nicolaum et Dionem ex Livio hausisse. Nectamen quicquam falsius est, cum Livium a Nicolao omnino non esse adhibitum pro certo affirmari possit, Suetoniusque hoc certe loco, si ullo alio ad Livium referendus sit. Quod ut probemus, videas quaeso quibus verbis finem narrationis ille faciat: neque ex eo infamiam affectati etiam regni discutere valuit . . . . . . Atqui verbum affectandi mire sermoni Liviano convenit. Praeterea apud Valerium Maximum[2]), quem saepissime Patavino usum esse constat, haec legimus: Quod is tribunus plebis cum Marullo collega invidiam ei tamquam regnum affectanti fecerat . . . .

[1]) cfr. Thouret. in stud. Lips. I, p. 352 sqq.
[2]) cfr. V. 7, 2.

Nec minus ea similitudine, quae inter Nicol. c. XX et Plut. Caes. LXI intercedit, in errorem induci possumus. Cfr.

Nicol.	Plutarch.
διάδημα ὤφθη περὶ τῇ κεφαλῇ κείμενον . . . . ἐπελθόντες δὲ τῶν δημάρχων.	*ὤφθησαν δ' ἀνδριάντες αὐτοῦ διαδήμασιν ἀναδεδεμένοι βασιλικοῖς καὶ τῶν δημάρχων δύο . . . ἐπελθόντες . . .*

Nam quoniam Nicolaus Plutarchusque ad verbum concinunt, putaverit quis consensum ita explicandum esse, ut et hunc et illum ex Anonymo Graeco hausisse statuamus. Quod falsum esse omnes intellecturos spero, qui contulerint:

Dionem XLIV, 9.	cum Appiano II, 108.
τὴν εἰκόνα αὐτοῦ τὴν ἐπὶ τοῦ βήματος ἑστῶσαν διαδήματι λάθρᾳ ἀνέδησαν.	*εἰκόνα δ' αὐτοῦ τις τῶν ὑπερεθιζόντων τὸ λογοποίημα τῆς βασιλείας ἀνέδησε . . .*

Quo ex consensu cum facile colligatur apud Anonymum Graecum longe aliud exstitisse atque Nicolai verba: ὤφθη διάδημα aut Plutarchi: ὤφθησαν ἀνδριάντες, concludendum est a Plutarcho ita Caes. 61 Nicolaum adhibitum esse ut Brut. 53 (frg. Nic. LXXXVII).

Huc accedit, quod Plutarchus solus diademata a Caesetio Epidioque statuis Caesaris non ante Lupercalia, sed ipsis Lupercalibus detracta esse tradit. Quem in errorem Plutarchum eo inductum esse apparet, quod Nicolaus (sed non Anonymus Graecus) rettulerat Lupercalibus diadema a Caesare repudiatum statuae eius impositum esse. Unde sequitur, ut Plutarchus cap. LXI Caes. extr. Nicolaum praeter Anonymum Graecum[1]) inspexerit.

Sed, ut iam eo revertamur, unde digressi sumus, quoniam ceterae similitudines, quae inter Nicolai de statuis redimitis narrationem narrationesque rivulorum Asinianorum multae intercedunt, se sententiis continent neque

[1]) Anonymum Graecum a Plut. Caes. 61. adhibitum esse luce clarius est; cfr. Plut. *καὶ τοὺς ἀσπασαμένους βασιλέα τὸν Καίσαρα πρώτους ἐξευρόντες ἀπῆγον εἰς τὸ δεσμωτήριον.* App. II, 108. *οἱ δ' ἀμφὶ τὸν Μάρυλλον καὶ τῶνδε τῶν ἀνδρῶν τὸν ἀρξάμενον ἐξεῦρον καὶ τοῖς ὑπηρέταις ἐκέλευον ἄγειν ἐς δίκην . . .*

ad verba Graeca descendunt, Asinium ipsum ab illo adhibitum esse existimo.

Ad eundem fontem cap. XXIII extr. videtur referendum esse. Cfr.

Nicol. XXIII.	Plut. Brut. XIV.
ὁ δαίμων ... εἰς τὸ τοῦ ἐχθροῦ αὐτὸν ὑπάγων χωρίον, ἐν ᾧ ἔμελλε πρὸ τοῦ ἐκείνου ἀνδριάντος νεκρὸς κείσεσθαι, καὶ οὗ ζῶντος περιεγένετο, τούτου τεθνεῶτος πρὸς τῷ εἰδώλῳ ἀποσφάττεθαι ..	ὥστε καὶ δαίμων τις ἐδόκει τὸν ἄνδρα τῇ Πομπηίου δίκῃ προςάξειν ..

Nicol. XXIII.	App. II, 115.
ἥ τε γυνὴ πάντων μάλιστα Καλπουρνία ὄνομα διά τινας ὄψεις ἐνυπνίων δειματωθεῖσα ἐνέφυ τε αὐτῷ καὶ οὐκ ἔφη ἐάσειν ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἐξιέναι . . .	καὶ ἡ γυνὴ Καλπουρνία ἐνύπνιον αἵματι πολλῷ καταρεόμενον ἰδοῦσα κατεκώλυσε μὴ προελθεῖν ..

Nam cum Nicolaus paene numquam ad verbum cum Appiano aut Plutarcho congruat, si non certum, tamen verisimile est hos locos non ex Anonymo Graeco, sed ex Asino ipso fluxisse; quod idem in eam narrationem cadere, quae de Bruto cap. XXIII extr. legitur, supra[1]) probavimus.

Incertior sum, quid de capitis XX initio sit iudicandum; cfr.

Nicol. XX.	Plut. Caes. LVII.
ἐνίων δὲ μετὰ ἐνέδρας δεχομένων τὰς ὑπερβεβλημένας . . . . . ὡς ἂν φθόνος ὁμοῦ καὶ ὑποψία ἐγένοιτο ἐπαχθής . . .	ἕτεροι προςτιθέντες ὑπερβολὰς καὶ διαμιλλώμενοι πρὸς ἀλλήλους ἐξειργάσαντο καὶ τοῖς πρᾳοτάτοις ἐπαχθῆ τὸν ἄνδρα καὶ λυπηρὸν γενέσθαι ...

Quo loco quoniam similitudines, quae ad verba Graeca descendunt, minoris momenti sunt, in medio relinquo, utrum Anonymum an Asinium Nicolaus adhibuerit.

Idem de his cap. XIX verbis statuendum est: ἐν οἷς (scil. coniuratis) μέγιστον ἠδύνατο Δέκμος τε Βροῦτος καὶ Γάιος Κάσσιός τε καὶ Μάρκος Βροῦτος . . . . .

Quae eadem nomina, quoniam etiam apud App. II, 111

[1]) cfr. quae pagg. 31. 32. disputavi.

et Suet. Caes. 80[1]) (cfr. quae pag. 19. disputavi) leguntur, iam apud Anonymum Graecum Asiniumque exstiterunt. Atqui Livius, cum eundem Asinium exscripsisset, C. Trebonium addiderat[2]). Ergo Nicolaus aut Asinium aut Anonymum Graecum, sed non Livium auctorem adhibuit.

Procedat quaestio haec ad cap. XXII, quo Nicolaus Caesarem senatui quondam non assurrexisse narrat. Sed quid dico? Num dictatorem non assurrexisse re vera prodidit? Immo, cautius egit; haec enim apud eum leguntur: ὁ δὲ (scil. Caesar) προςιόντων ἐκάθητο καὶ διὰ τὸ τοῖς ἐκ πλαγίου ὁμιλεῖν οὔτ' ἐπιστρέψας πρὸς αὐτοὺς τὸ πρόςωπον οὔτε προςέχων ἀλλ' ὁμοίως διοικῶν ἃ ἐν χερσὶν εἶχεν, εἰς ὃ τῶν πλησίον φίλων τις εἶπεν· Ὅρα τοὺς ἐξ ἐναντίας προςιόντας· Καὶ τότε ἀποθέμενος τὰ γραμματίδια ἐπεστράφη καὶ περὶ ὧν ἦλθον ἤκουε . . . .

Quam rei dissimulationem ex Caesariano Nicolai auctore fluxisse, non est, quod moneam. Cuius aliud quoque vestigium in hoc capite deprehendisse mihi videor. Nam cum

[1]) Et Eutropii et Orosii de coniuratione narrationes cum Suetonii congruunt: Cfr.

Suet. 80.	Oros. VI, 17.	Eutrop. VI, 25.
C. Cassio Marcoque et Decimo Bruto principibus conspirationis ..	duo Bruti et C. Cassius aliique . . .	Praecipui fuerunt inter coniuratos duo Bruti, C. Cassius et Servilius Casca . . .

Ergo Eutropius Orosiusque, ut Suetonius, Trebonii nomen omiserunt, pro quo Eutropius Servilii Cascae nomen adiecit. Haec quoque, si placet, conferas:

Eutr. VI, 25.	Oros. VI, 17.	Suet. Caes. 80.
Coniuratum est in eum a sexaginta vel amplius . . .	in qua coniuratione fuisse amplius sexaginta conscios ferunt ..	Conspiratum est in eum a sexaginta amplius ..

Equidem, cum a me impetrare non possim, ut et Orosium et Eutropium per se quemque epitomen Livianam cum Suetonio coniunxisse arbitrer, inter Livii epitomen et Suetonium aliaque ex parte Eutropium et Orosium, Anonymum quendam epitome Liviana et Suetonio usum intericiendum putarim.

[2]) cfr. Vell. Paterc. II, 56. Dion. XLIV, 14. Perioch. CXVI.

Asinius et Anonymus factum illud, scilicet Caesarem senatui non assurrexisse, anno DCCIX attribuissent[1]), Nicolaus id anno DCCX assignavit[2]). Quae temporum computatio cum neque ex Asinio neque ex Anonymo Graeco fluxerit, ad Caesarianum referenda est, nisi quartum fontem nescio quem statuere tibi placet.

Nectamen memoriae Asinianae vestigia cap. XXII plane desunt; cfr.

Nicol. XXII.	Plut. Caes. 60.	App. II, 107.
τούτων ἡγεῖτο μὲν ὁ ὕπατος, συνῄεσαν δὲ τῷ ὑπάτῳ οἵ τε στρατηγοί .. μετὰ δὲ δὴ ἡ σύγκλητος ἐν κόσμῳ εἵπετο . . .	*προσιόντων δὲ τῶν ὑπάτων καὶ τῶν στρατηγῶν ἅμα δὲ καὶ τῆς βουλῆς ἁπάσης ἑπομένης . . .*	*τῶν ὑπάτων ἡγουμένων ἐν κόσμῳ τῷ πρέποντι ἑκάστῳ προσέφερεν . . .*

Quibus ex locis inter se comparatis cum discerni non possit, utrum Nicolaus Asinium ipsum an Anonymum adhibuerit, alia ratione rem absolvere conemur. Atque quamquam et Livium et Anonymum Graecum suas de patribus a Caesare offensis narrationes ex eodem Asinio hausisse constat, tamen illo[3]) auctore iniuria pro aede Veneris Genetricis, hoc[4]) ante rostra illata est. Quae discrepantia optime explicatur, si apud Asinium nihil aliud legebatur quam quod apud Nicolaum: cfr. Ἀγορὰν κατεσκεύαζε μεγάλην καὶ ἀξιοπρεπῆ ἐν Ῥώμῃ καὶ τοὺς τεχνίτας ἀθροίσας τὰ ἔργα εἰς τὴν κατασκευὴν διεπίπρασκεν. Ἐν τούτῳ δὲ αὐτῷ προςῆλθον οἱ Ῥωμαίων ἄριστοι . . . . . Itaque si quis Nicolaum Asinio ipso usum esse putabit me adversarium non experietur — sed res est incertissima.

[1]) cfr. App. II, 107. *ὑπάτων ἡγουμένων.* Plut. Caes. 60 *προσιόντων δὲ τῶν ὑπάτων.* Atqui anno DCCX Caesar ipse consul fuit. Eidem anno DCCIX a Dione rem attributam esse ex eo apparet, quod eam ut Appianus ante illam de Epidio Marulloque narrationem posuit.

[2]) cfr. cap. XXII. *τούτων ἡγεῖτο μὲν ὁ ὕπατος συνάρχων τότε αὐτῷ* scil. Caesari) *ὤν.*

[3]) cfr. Suet. Caes. 78. Dion. XLIV, 8. cfr. Paul. Otton. Quaestion. Strabonian. In stud. Lips. Suppl. XI, p. 250. annot. 2.

[4]) cfr. App. II, 107. Plut. Caes. 60.

Restat, ut de frg. LXXXVII historiarum, quod Plutarchus Brut. cap. LIII nobis servavit, disseramus. Quo loco ille Nicolaum et Valerium Maximum vituperat, quod Porciam post Brutum interfectum mortem carbonibus devoratis sibi conscivisse narravissent; exstare enim Bruti epistulam, qua Porciam mortuam questus esset. Quae verba mireris. Neque enim soli Nicolaus Valeriusque Porciam post Brutum mortuam tradiderant, sed etiam Anonymus Graecus (ex quo App. IV, 136). Livius (ex quo Dio XLVII. 49, Valer. Max. IV, 6, 5), Asinius (ex quo Anonymus Graecus et Livius)[1]). Nonne mirum est, quod neque Anonymus, neque Livius, neque Asinius a Plutarcho. Brut. cap. LIII, inspecti sunt? Quae cum ita sint, apparet Gutschmidium, cum haec in script. minor. V p. 538 proferret, valde errasse: An Nachlässigkeit, besonders in römischen Dingen, fehlte es aber nicht, so brachte er den Selbstmord der Porcia, Brutus Gemahlin, in einen ganz unhistorischen, arg anachronistischen Causalnexus mit dessen Untergang, vielleicht aus Effekthascherei! Immo Nicolaus hanc temporum computationem non ipse ementitus est, sed ex fontibus hausit, sive ex Asinio, sive ex Anonymo.

Sed quamquam Gutschmidius falso nixus est argumento, tamen recte perspexit Nicolaum saepius diligentiam reliquisse. Cuius rei exemplum ne haec quidem cap. XXIII verba attulerim: Ἐγίγνετο δὲ αὐτοῖς ἡ σύνοδος εἰς τὴν τοῦ Πομπηΐου στοὰν ἔνθα ἑκάστοτε συνελέγοντο. Quae quamquam verba a nullo intellegi possunt nisi collato Appiano[2]): II, 115. θέαι δ'ἦσαν ἐν τῷ Πομπηΐου θεάτρῳ καὶ βουλευτήριον ἔμελλε τῶν τις περὶ αὐτὸ οἶκος ἔσεσθαι, εἰωθὸς ἐπὶ ταῖς θέαις ὧδε γίγνεσθαι . . . ., tamen fortasse non Nicolaus sed excerptores negligentiae sunt incusandi. Sed aliter iudicandum est de his cap. XIX verbis: Ἐν οἷς μέγιστον ἠδύνατο Δέκμος τε Βροῦτος, φίλος ἐς τὰ μάλιστα ὢν Καίσαρι, καὶ Γάιος Κάσσιός τε καὶ Μάρκος Βροῦτος,

[1]) Quibus ex causis haec fabella originem traxisset, Mommsenus in Herm. vol. XV, p. 102 exposuit.

[2]) cfr. Godtium, l. c. pagg. 1. 2.

οὐδενὸς ἧττον παρὰ Ῥωμαίοις τότε ἐπαινούμενος· πάντες δὲ πρότερον ἀντιπόλεμοί τε ἦσαν καὶ τὰ Πομπηίου ηὖξον . . . Quem Nicolai errorem inde ortum esse puto, quod ea in omnes coniurationis principes transferebat, quae et Asinius et Anonymus Graecus[1]) de nullo nisi de M. Bruto et C. Cassio tradiderant.

Ceterum Nicolai non tam simpliciter quam rhetorice historiam scribere erat. Tamen ne hanc quidem artem satis modeste verecundeque exercuit. Velut paene pueriliter initium cap. XIX ex verbis Herodoteis conglutinavit: cfr.

Nicol.	Herdt. I, 1.
διέξειμι οὖν αὐτήν τε πρῶτον καθ' ὅτι ἐγένετο καὶ ὅπως τάς τε αἰτίας, ὑφ' ὧν συστᾶσα τοσόνδε ἐπεξῆλθε . . .	*τά τε ἄλλα, καὶ δι' ἣν αἰτίαν ἐπολέμησαν ἀλλήλοισι . . . . σθαι . . .*
Nicol.	Hdt. IV, 16.
περὶ τοῦ ἑτέρου Καίσαρος, οὗ ἕνεκα ὅδε ὁ λόγος ὥρμηται . . .	*τοῦ εἵνεκα ὁ λόγος ὡρμήθη λέγεσθαι . . .*
Nicol.[2])	Hdt. I, 92.
ἐπιζητεῖ δὲ τοὐντεῦθεν ὁ λόγος . . .	*ἐπιζητεῖ δὲ δὴ τὸ ἐνθεῦτεν ἡμῖν ὁ λόγος . . .*

Quoniam de auctoribus et cap. 19—27, et 1—18, verba fecimus, iam quaeritur, quonam ex fonte capita 28—31 fluxerint, quibus Nicolaus res ab Octaviani Romam adventu usque ad delectum ab eo in Campania habitum deducit. Atque qui secum reputaverit, in rebus, quae his capp. narrantur, summas partes agere Octavianum, huius autem commentarios iam capp. 1—18 a Nicolao exscriptos esse, ei haud absurdum videbitur statuere, in capp. 28—31 non Asinii, sed Augusti libros a Nicolao adhibitos esse. Quod ita se habere, nunc probandum est:

---

[1]) cfr. App. II, 110. *Συνεστήσαντο δὲ τὴν ἐπιβουλὴν μάλιστα δύω ἄνδρε Μάρκος τε Βροῦτος . . . καὶ Γάιος Κάσσιος . . . οἵδε μὲν ἄμφω τῆς Πομπηίου μοίρας γεγονότε . . .*

[2]) Quae cum ita sint, miretur quis Nicolaum res Lydiacas et Babylonicas non ex Herodoto hausisse, sed ex Xantho et Ctesia (num ex ipsis?) Sed cum initio operis indefessus et alacer esset, longas horum fabulas praeferebat exili illius narrationi.

I. Iam Bailleus[1]) historias Asinii Antonio favisse probavit; atqui in Nicolaï capitibus XXVIII—XXXI gravissima crimina Antonio obiecta sunt. Quae quidem crimina, quamquam fieri potuit, ut Nicolaus ipse ad ea, quae Asinius rettulerat, adiceret, cum inimicissimos Antonium Octavianumque fuisse, sciret, tamen equidem non intellegerem, cur hunc sibi imposuisset laborem, quoniam Augustus ea iam praestiterat, quae Nicolao opus erant. Praeterea Damasceno non solum tum, cum Augustuo vituperaverat, vituperandum erat, sed etiam eodem modo, quo Augustus. Id quod optime facillimeque ex imperatoris ipsius commentariis cognoscere potuit.

II. Nemo nescit crimini Augusto datum esse et quod cum iis partibus foedus inierat, quae patris percussoribus non erant alienae, et quod in Campania veteranos Caesaris ad bellum exciverat. Quae crimina imperatori obiecta esse, vel inde concludendum est, quod Nicolaus multis verbis ea excusare studuit. Atqui unde sciebat laudator, qua ratione Augustus excusari vellet? Nonne ex ipsius commentariis? Ceterum in cap. XXVIII, quo de foedere inter Octavianum et senatum inito verba fiunt, inter eos duces, qui contra ius et fas rerum potiri conati sint, C. Asinius quoque nominatur. cfr. cap. 28, pag. 127, vs. 17—19 et 24—29. Hoc crimen Nicolaus, si Asinii ipsius exscripsisset libros, ex suo ingenio addidisset, quod non ita verisimile esse mihi quidem videtur.

III. Antonium sua sponte cum Octaviano in amicitiam redisse, et Dio XLV, 8 et Plut. Ant. XVI memoriae tradunt (uterque fortasse ex Livio hauriens!). Asinio contra (= App. III, 29 et 32) auctore ταξίαρχοι Antonium hortati sunt, ut in gratiam cum Octaviano reverteretur. Quae si Nicolaus apud Asinium legisset, non erat, cur immutaret, curve milites gregarios animum Antonii reconciliantes Octavio induceret (cap. 29).

---

[1]) l. c. p. 31 sqq.

IV. Cap. XXX Nicolaus narrat, ab Antonio Octavium falso incusatum esse, quod sibi consuli necem inferre voluisset. Sed longe aliter se rem habere, ex verbis Ciceronis eo tempore artissime cum Octavio coniuncti concludendum est: ad fam. 12,23 (cfr. Gardthausen: Augustus u. s. Zeit, II, 1, p. 25) de quo (Octaviani conatu) multitudini fictum ab Antonio crimen videtur, ut in pecuniam adulescentis impetum faceret; prudentes autem et boni viri et credunt factum et probant. Idem senserunt et Seneca[1]) et Suetonius[2]). Asinius autem Pollio (= App. III, 39), quamquam Octavianum insontem fuisse existimare videtur, tamen et Antonium fortasse bona fide egisse concedit, et Octavianum omnem pudorem verecundiamque abiecisse aperte significat. An Nicolaum ausum esse putas Asinii narrationem suo nomine immutare? Ut dicam, quid sentiam: Si omnino, hac certe in re enarranda cautissime imperatoris vestigia laudatori premenda erant. Ceterum hoc loco Nicolaum Asinio usum non esse, vel inde apparat, quod ea Augusti excusatio, quam hic protulerat, ab illo neglecta est: cfr. App. III, 39 ὀλίγοι μὲν γὰρ οἷς τι λογισμοῦ βαθέος ἦν, ᾔδεσαν Καίσαρι συμφέρειν Ἀντώνιον καὶ βλάπτοντα ὅμως περιεῖναι, ἐπίφοβον ὄντα τοῖς φονεῦσιν . . .

Quae cum ita sint, ut in capp. 1—18 ita in capp. 28—31 Augusti commentarios a Nicolao adhibitos esse censeo.

Itaque ampliora Augusti commentariorum fragmenta per Nicolaum solum ad haec tempora pervenerunt. Unus ille plura Oppii fragmenta servavit, quam ceteri scriptores coniuncti; solus omnium, qui antiqui historici aetatem tulerunt, maiores partes ex ipsius Asinii libris hausit.

Appendix.

Disputationi meae non antea finem imponere volui, quam locos, quicumque Anonymo Graeco ex Nicolao Plutarcho Appiano inter se comparatis ad verbum restitui

1) de clem. 1,9.
2) Aug. 10.

possent, in unum congessissem. Id ut instituerem, imprimis eo commotus sum, quod adhuc obscurum est, quo genere scribendi Anonymus usus sit. Nam quamquam pauci sunt loci, quibus quid apud illum exstiterit, hodie quoque perspicere possimus, tamen fortasse sufficiunt ad iudicium de sermone illius ferendum. Atque hi sunt:

I. Nicolaus XXV.	App. II, 119.
γυμνὰ ἔχοντες τὰ ξίφη, ὑπὲρ κοινῆς ἐλευθερίας ταῦτα βοῶντες εἰργάσθαι	*τὰ ξίφη μετὰ τοῦ αἵματος ἔχοντες . . . . ἐπί τε τὴν πάτριον πολιτείαν παρεκάλουν . . . .*
Plut. Caes. LXVII.	Plut. Brut. XVIII.
γυμνὰ τὰ ξίφη δεικνύντες . . . . . παρακαλοῦντες ἐπὶ τὴν ἐλευθερίαν . .	*τὰ ξίφη γυμνὰ δεικνύντες ἐπὶ τὴν ἐλευθερίαν παρεκάλουν τοὺς πολίτας . . . .*

Unde apparet Anonymum ita scripsisse: γυμνὰ τὰ ξίφη ἔχοντες (sive τὰ ξίφη γυμνὰ ἔχοντες) . . . . . ἐπὶ τὴν ἐλευθερίαν παρεκάλουν . . . . . . Itaque cum apud Anonymum verbum ἔχοντες exstiterit, apud Plutarchum autem utroque loco verbum δεικνύντες legatur, Plutarchum se ipsum exscripsisse statuendum est.

II. Nicol. XXIV.	Plut. Caes. LXVI.	Plut. Brut. XVII.
εἰσιόντα δὲ αὐτὸν ὡς εἶδεν ἡ σύγκλητος ὑπανέστη εἰς τιμῆς ἀξίωσιν . . .	*εἰσιόντος δὲ Καίσαρος ἡ βουλὴ μὲν ὑπεξανέστη θεραπεύουσα . . .*	*Καίσαρι δ'εἰσιόντι μὲν ἡ σύγκλητος ὑπεξανέστη . . . .*

Certum igitur est apud Anonymum haec verba exstitisse: ἡ σύγκλητος ὑπεξανέστη. Ante ea sive verba: εἰσιόντι δὲ Καίσαρι, sive potius εἰσιόντος δὲ Καίσαρος (sed non Καίσαρι δ'εἰσιόντι aut Καίσαρος δ'εἰσιόντος, cfr. Nicol.) legebantur, post ea aut εἰς τιμῆς ἀξίωσιν aut θεραπεύουσα. Ceterum Plutarchus et Caes. cap. LXVI, et Brut. cap. XVII ad ipsum Anonymum referendus est. Nam quoniam modo Bruti, modo Caesaris locus propius ad id accedit, quod Anonymo restituimus, apparet neque Caesaris locum ex Bruti, neque Bruti locum ex Caesaris fluxisse.

III. App. II, 109.	Nicol. XXI.	Plut. Caes. LXI.
θεώμενον αὐτὸν . . . . ἐπὶ θρόνου χρυσέου πρὸ τῶν ἐμβόλων . . .	καθημένῳ δὲ Καίσαρι ἐπὶ τῶν ἐμβόλων λεγομένων ἐπὶ χρυσοῦ θρόνου . . .	ἐθεᾶτο καθήμενος ἐπὶ τῶν ἐμβόλων ἐπὶ δίφρου χρυσοῦ . . .

Ergo Anonymus ita scripserat: ἐθεᾶτο καθήμενος ἐπὶ τῶν ἐμβόλων ἐπὶ θρόνου χρυσοῦ . . . . En habemus, quod quaesivimus, locum, ex quo perspicere possimus. qualis fuerit Anonymi sermo. Ne longus sim. persuasum mihi est haec verba: ‚ἐπὶ τῶν ἐμβόλων ἐπὶ θρόνου χρυσοῦ' non magis tibi placere, quam Appiano placuerunt; cfr. App. II, 109. ἐπὶ θρόνου χρυσέου πρὸ τῶν ἐμβόλων.

Ceterum. si in universum spectamus. Plutarchus diligentissime Anonymi Graeci vestigia pressit. cum Nicolaus saepissime a verbis illius recessisset, Appiano medium quiddam tenente.

VITA.

Natus sum Carolus Fredericus Guilelmus Witte die IV mensis Januarii anni MDCCCLXXVIII Coisliniae patre Oscario matre Johanna e gente Lenz. quam morte mihi ereptam esse valde doleo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus sum per quinque annos in gymnasio Sclavoniensi. per septem annos in gymnasio Berolinensi, quod Ascaniense dicitur. Postquam vere anni MDCCCLXXXXVI maturitatis testimonium adeptus sum, universitatem Berolinensem adii philologicis et historicis studiis operam daturus. Per septem semestria scholas frequentavi virorum doctissimorum Bornhak, Breysig, de Cuny, Delbrueck, Diels, Hintze, Hirschfeld, Jacobi, Kaufmann, Kleinert, Koehler, Koser, Lasson, Lenz, Oertmann, Paulsen, Pernice, Pfleiderer, Puchstein. Scheffer-Boichorst, Schmoller, Seckel, Spannagel, Sternfeld, Stumpf, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff.

Ad exercitationes me benigne admiserunt historicas Hirschfeld et Scheffer-Boichorst, epigraphicas Hirschfeld, palaeographicas Schoene. Praeterea per unum semestre proseminarii philologi benignitate Dielsii et Wilamowitzii sodalis fui ordinarius.

Quibus omnibus viris doctissimis optime de me meritis gratias ago quam maximas, imprimis autem Hirschfeldio, cui quid debeam numquam obliviscar.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Vell. II, 17, 1 pro verbis corruptis: ‚integris universis' legendum censeo: ‚integri superbis'.

2. Vell. I, 2, 1 verbum: ‚atavus,' quod paene omnes, editores Scaligero praeeunte in v. ‚abavus' mutaverunt, retinendum esse existimo.

3. Iliadem nescio quam quondam exstitisse verisimile esse arbitror, quae Achillem armatum ipsius manibus Patrocli corpus hostibus eripientem induxerit.

4. Mommsenus Caesarem anno a. Chr. n. CII, non C. natum esse probare conatus Suet. Caes. cap. I, § 1 neglexit, quo loco coniecturae eius non minimum accrescit momentum.

Typis expressit C. Salewski, Berolini, Neue Friedrichstr. 44.